DISSERTATIO JVRIDICA, DE REFVTATIONE FEVDORVM IMPERII,

SIVE

Von Auflassung derer Reichs-Lehne,

QAVM

PRAESIDE

DN. IMMANVELE WEBERO,
JVR. V. D. SACR. CAESAR. PALAT. COM.
JVRIS ET HISTORIARVM IN ALMA LVDOVICIANA
PROF. PVBL. SERENISS. PRINCIPIS
SCHWARZBVRG. CONSILIARIO,

PVBLICE

VENTILAVIT

DIE APRIL. M DCC XI.

JOHANNES HARTMANNVS HENRICI,
ONOLDO-FRANCVS,

VITEBERGAE
RECVSA IN OFFICINA HAKIANA
MDCCI.

APPLICATION
WISDOM
PAPERS

NOBILISSIMO DOMINO RESPONDENTI,

JVRIVM CANDIDATO DIGNISSIMO,

S. P. D.

PRAESES.

Siccine ergo properas ad metam Studiorum Academicorum, & quinquennio ab Imperatore conſtituto multum antevertis? Utinam omnes tam laudabiliter, tam feliciter, tam fructuoſe! Vixiſti ſane per triennium iſtud, ex quo hic commoratus eas, ita, ut hominem ingenuum, bonum Civem & Muſarum filium decet. Non crapulæ, non ocio, non laſciviæ litaſti, ſed

ad morem diſcincti vivere Nattæ

vehementiſſime ſemper puduit; nunquam vel propter mala nomina, vel propter jurgioſa aut armata certamina, vel aliam quamcunque ob cauſam ad Judicem vocatus, nocte dieque in literas totus incubuiſti, & unice illud *dic, cur hic?* habuiſti ante oculos. Unde id conſecutus es felicitatis, ut omnes Te ament, & optima quæque ſibi de Te polliceantur, qui nulla abiturus poſt Te relinquis ſcelerum veſtigia, ſed rerum quam optime geſtarum memoriam. Dicam amplius, illud es conſecutus, ut non, plurimorum more, inanis & a doctrina vacuus domum re-

vertare, ſed ea bonarum literarum, quas non inſuper habuiſti, &, quæ Studiorum Tuorum ſumma erat, ſolida Juris ſcientia inſtructiſſimus, unde plurimum emolumenti in Rempublicam, & in Te ipſum aliquando redundabit. Teſtem Tuæ Virtutis me certiorem invenire non poteris, cui per totum Academicæ Vitæ tempus, & quidem e regione mei Muſei ſuiſti inquilinus. Et quid verbis, quæſo, opus, ubi rerum adſunt teſtimonia luculentiſſima? Teſtatur ſane de egregiis Tuis Studiis præſens, Tuo Marte elaboratum doctiſſimum Specimen; imo teſtem habebimus brevi totam noſtram Ludovicianam, dum Tibi publica Honorum præmia optime promerita a Sacra Themide conferentur. Gratulor igitur Tibi ex animo de corriculo laborum tam laudabiliter ad finem fere perducto, imo & Conſultiſſimo, DN. AVO, atque Honoratiſſimo DN. PATRI gratulor, quibus Filium tam bene moratum, tam eleganter expolitum, & ad Reipublicæ commoda tam copioſe præparatum intra amplexus ſuos ſalvum & incolumem, quod ſpero, & voveo, recipere brevi dabitur. DEUS, quem times & pie veneraris, Tibi, Nobiliſſime DN. HENRICI, porro ſit propitius, & faxit, ut, quem reſpicis, portum ex voto & feliciſſime conſequaris. Gieſſæ, d. III. April.

MDCCXI.

CON-

CONSPECTUS.

PRÆFATIO.

§. *I.* *Feudorum* Origo.

§. *II. Feudi Vocis* Etymologia.

§. *III.* Homonymia.

§. *IV. Vocabuli* Refutationis *Expositio.*

§. *V. Quid* Imperii Feudum?

§. *VI.* DEFINITUR Feudorum Imperii Refutatio.

§. *VII.* DIVIDUNTUR *Feudorum Imperii Refutationes.*

(1) *in* proprias, impropriias, & impropriissimas.

(2) *in* simpliciter & secundum quid *tales.*

(3) *in* alias, *de quibus remisse.*

§. *VIII.* CAUSA EFFECTRIX, & *quidem* Juris *Refutandi F. I. Qu.* An juste Refutatio fieri possit? *Affirm.*

§. *IX.* CAUSA EFFECTRIX, & *quidem* Actus *refutandi F. I. sive* Subjectum (*A*) activum *sunt Vasalli Imperii. Qu.* An qui Sub Feudum habet ab Imperii Statu, id refutare possit? *Excluduntur* pupilli, Minores, furiosi, prodigi.

§. *X. Non item, qui sunt* hebetioris ingenii.

§. *XI. XII.* Ligietas *in Vasallis Imperii Refutationem non impedit. Quis proprie dicatur* Vasallus Ligius?

§. *XIII.* Subjectum (*B*) Passivum *Refutationis F. I. Imperator & Imperium. Qu.* An Imperatori invito Feuda Imp. refutari possint? *Aff. Imperii Fisco addici debent Feuda refutata. Id cur adhuc usque non observatum?*

§. *XIV. An etiam* Rex Romanorum?

§. *XV. An* generales Imperii Vicarii?

§. *XVI. An* Pontifex Romanus?

§. *XVII.* Agnatorum in gratiam *fit quoque Refutatio F. I. ubi* (*a*) *de discrimine*

(1) Feudorum, *prout vel nova, vel antiqua, nec non.*

(2) Agnatorum, *prout vel De-*

Deſcendentes, vel Collaterales; hique iterum vel propriores, vel remotiores. (*b*) *de modo computandi &* (*c*) *proximitatem æſtimandi. Qu.* An, qui Feuda Imperii ſemel refutarunt, iterum poſt Refutationem ad ea pervenire poſſint? *Et proponuntur varii caſus, juxta quos diverſimode reſpondetur.*

§. *XIIX.* Extraneis *perſonis an & quatenus Imperii F. refutari queant? Referendi huc ſunt* Rex Bohemiæ & Electores, *item* Archi-Duces Auſtriæ, *quibus F. I. per Refutationem cedere licet. In gratiam* Eccleſiarum & Monaſteriorum *Feuda quoque refutata, iisque donata, quod Exemplis illuſtratur, & probatur. Qui* pactis Confraternitatis & mutuæ Succeſſionis *tenentur, ſi* Extraneis *refutare Feuda I. velint, in ſpecie &* Confratrum conſenſu *opus habent. Idem de* conſenſu Ordinum Provincialium, *ſicubi exiſtunt, in tali caſu habendum eſt.*

§. *XIX.* OBJECTUM *Refutat. F. I. ſunt* Feuda Regalia, *tam* Eccleſiaſtica, *quam* Secularia, & non Regalia. *Item* hæreditaria, & ex pacto & providentia *talia. Vtriusque generis dari in Imperio oſtenditur, & in dubio qualitatem poſteriorem præſumi. Qu.* An Conditionata etiam Imperii Feuda refutari poſſint? *Aff.*

§. *XX.* FORMA *Refutationis F. I.* externa, *conſiſtit in modo refutandi, variis actibus & circumſtantiis. Refutatio* in manus Imperatoris *de jure ab ipſis Vaſallis* in perſona *fieri debebat*, adhibitis certis ſolennitatibus, *quod probatur exemplo Heinrici Auſtriaci, Ducatum Bojariæ, & Henrici Leonis Auſtriam refutantium: & illuſtratur teſtimonio Jur. Feud. Alemannici. Sed aliud uſu obtinet. Exemplum refutationis F. I.* per literas *factæ*

Impe-

Imperatori Ludovico Bavaro a Comite Beichlingenſi. Omnis Refutatio F. I. etiam quæ in gratiam Agnatorum fit, requirit reſignationem in manus Imperatoris Locus, & tempus, *ubi & quando I. F. refutare liceat? Forma* interna *conſiſtit in* Reſignatione *atque* Ceſſione (*a*) verba & reali, *non nuda & verbali*, (*b*) libera, *non coacta.* (*c*) ab iis omnibus, *quorum intereſt*, adprobata, *non iis inſciis & invitis ſuſcepta* (*d*) honeſta, *non doloſa, quales olim uſitatæ, ſi Vaſalli Dominos invadere volebant, ſevere prohibitæ in* A. B. c. XIV. *Qu.* Si Vaſallus Imperii Feuda Filio vel Agnato Feudum refutet, & poſtea Imperatori bellum inferat, an propoſitis in A. B. pœnis ſubjaceat? *Ad diſpoſitionem A. B. non ſpectat, ſi quis* gurpire homagium: *i. e.* Feudum defenſionis & repellendarum injuriarum gratia refutet. *Conſiſtit denique* (*e*) *Forma interna Refutationis in* reſignatione tempeſtiva.

§. XXI. FINIS *Refutationis F. I. &* Effectus. Fines *varii eſſe poſſunt, prout Refutationes ſunt vel* licitæ *vel* illicitæ. *Potiores quoad* priores *ſunt, ut Vaſallus a nexu & oneribus Vaſallagii liberetur, ut refutanti vel etiam refutato conſolatur, ut piæ cauſæ promoveantur. Quoad* poſteriores *hi fere ſunt, ut Vaſallus Imperatorem invadat, vel intempeſtive ope & ſervitiis deſtituat. De* Effectionibus illicitarum *Refutationum remiſſive. Qu.* Si Imperii Vaſallus alteri intempeſtive Feudum refutarit, Imperator autem non conſenſerit, an, reſoluta ſic ceſſione Cedens Ceſſionario ad intereſſe teneatur? *Aff.* Effectus licitarum *ratione* Imperatoris & Imperii *eſt, ut addicatur Feudum refutatum Fiſco Imperiali; ratione* Vaſalli refutantis, *ut a nexu Vaſallitico liberetur, manet tamen vinculum* Subjectionis.

§. XXII. CONTRARIA *Refutat F. I.* AFFINIA. Illa *vel* faciendam *Refutationeus* impediunt. *e. gr. defectus Voluntatis & facultatis, pravum Vaſalli conſilium, intempeſtivitas &c. vel* jam factam deſtruunt, *ut coactio, error, Revocatio ex Capite Protimiſeos aut Succeſſionis.* De Affinibus *remiſſive.*

PRAE-

PRAEFATIO.

BENEVOLE LECTOR!

Si quaunquam materia ſua gravitate ſe commendare poterit, ea ipſa ſane eſt, quam in præſenti Tuo judicio ſiſtimus. Neque inde ſtatim nimiam ſui fiduciam calamo exprobrabis; utpote cui non eſſe cautum lubentes fatemur, ne lapſus properantem caſtiget audaciam. Equidem tales a nobis expectandæ non ſunt lucubrationes, quæ ſolidæ eruditionis atque ſcientiæ ſpecimina videri poſſent: ſed condonabis juvenili impetui ad majora aſpiranti, ſi non ſemper ſucceſſu felici, conatu tamen fors non improbando. Nulla idcirco nos diſtrahet remora, quo minus ſuſcipiamus operam circa argumentum utiliſſimum, nec a quoquam, quod nos quidem ſciamus, profeſſo tractatum ſtudio. Videri equidem poterat præoccupaſſe laborem B. Academiæ hujus quondam Cancellarius, Dn. Tabor, in Exercitio Juridico de Refutatione Feudi, *quod in* Vol. II. Tractatuum *ſuperioribus annis Lipſiæ junctim editorum habetur.*

Sed

Sed revera actum ea propter non egi, siquidem Celeberrimus JCtus Refutationem Feudorum generaliter quidem proposuit; de Feudus autem Imperii alium tenuit silentium. Lucem haud aspernandam prætulit B. Dn. Jo. Guil. Itterus, *in Tractatu de* Feudis Imperii, *cujus vestigia subinde premere non tam erit jucundum, quam summe necessarium. Sustine igitur L. B. hasce pagellas, & ardori, dum vires solidioris doctrinæ desunt, ignosce. Satis nobis erit videre, hoc specime Favori Tuo non frustra esse litatum, eoque hunc nostrum laborem acceptum, quo vota nostra Humanitati Tuæ confisa respexerunt.*

§. I.

Feudorum Originem esse antiquissimam, uno ore Feudistæ fatentur. Quo autem tempore, & a quibus ea cœperint, adeo mirifice conflictantur, ut in dissensiones conspirasse veluti videantur. Vid. Thom. Franzkii *Disp. de Feudor. Orig. th. 11. n. 1. seqq.* Hunnius, *de Feud. Cap. 1.* Ludwel. *Synops. Jur. Feud. Cap. 1. pag. 3.* Missis aliorum sententiis non omnino errare putamus eos, qui Feudorum incunabula apud Romanos quæsiverunt, utpote quos Francos, quibus Feudorum instituta præcipue debentur, in plurimis imitatos fuisse constat. Zasius *in l. 2. ff. de Orig. Jur.* & alii: a quibus non adeo alienus est B. Dn. Cancellarius noster, Hertius, *de Feud. Oblat. P. I. §. 2. circa fin.* Conf. Dn. Tabor. *Armament. Justin. §. 26. arg. l. F. 13. l. 13. & fin. C. de fund. patrimon. l. item si verberatum 15. §. 2. ff. de Rei Vindic.* Gothofred. *ibid. lit. q. l. 11. in fin. ff. de Evi-ction. l. 2. & 3 C. de fundis limitroph.* in quibus legibus mentio fit agrorum, fundorum, & territoriorum militibus in militiæ præmium concessorum. (Dissentiunt Struvius, *Synt. Jur. Feud. Cap. I. Aph. 3. n. 8.* Itter. *de Feud. Imper. C. I. §. 5.* Ant. Dadin. Alteserra, *de Orig. & Stat. Feudor. Cap. 1.* Sed vid. M. Anton. Dominic. *Histor. Disquis. de Prærogat. Allod. Cap. I. §. 2. cum seqq. Cap. IV. §. 5.* Joh. Rüding. *Var. Lect. Jur. Feudal. L. I Cap. I. n. 14.*) Quod ita ratione *occasionis* verum esse putamus, formam autem diversam posterioribus temporibus Feuda induisse res ipsa loquitur, quam omnino moribus Francorum cum Erico Mauritio *Pos. Feud. Dec. I. posit. 5.* & B. Dn. Hertio *Notit. Vet. Francor. Cap. III. §. 46.* adscribimus. Vix enim ulla antiquior investiendi formula occurret, quam in historiis Francorum. Alteserra *d. Cap. I. pag. 4.* Neque alibi unquam frequentior mentio fit *Leudum* sive *Leodum*, i. e. fidelium,

qui

qui a Rege prædia tenebant ſub lege fidei & ſervitii, quam ſub auſpiciis regni Francici. Dn. Hert. *d. l.* Aimoinus, *de reb. geſt. Franc. L. III. Cap. 81. L. IV. Cap. 64.* Dominic. *d. l. Cap. 15.* Guerr. Piſ. Scacc. *Prælud. Feud. Cap. 4. n. 21. ſeqq.* Itter. *d. l.* §. *IX.* Quod autem ad Feuda Imperii noſtri attinet, eorum initia ad Caroli M. faſces Imperiales recte refert Itterus, *d. Cap. I. §. 11.* Dum enim primus is Imperium Romanum ad Germanos transtulit, & non tantum, qua Rex Francorum in horum terris, ſed & qua Imperator alibi Proceres beneficiis ornavit, quod omnis hiſtoria teſtatur, non poteſt non inde ſequi, quod ad eum Imperii Feudorum initia ſint referenda. Unde per ſe concidit ſententia Monzambani ſtatuentis, eo demum tempore, quo Carolingi Imperatores deſecerunt, Imperii Feuda cœpiſſe, dum Principes bona ſua hactenus allodii jure poſſeſſa Imperatoribus in Feudum obtulerint; *de Stat. Imper. Cap. III. §. 4.* cui ſententiæ dudum contradixere, ſaltim, non in univerſum eam admitti poſſe, oſtenderunt Viri docti. Kulpiſ. *ad d. l. Comment. p. II. p. 14.* Hert. *de Feud. Oblat. P. I. §. 15.* Plura qui de his velit, adeat Itterum, *de Feud. Imperii c. l.* ubi Imperii Feudorum initia atque progreſſus per varios incrementorum gradus fuſe deſcribit.

§. II.

Subſequitur, ut exquiramus paucis, unde *Feudi Vox* deducta ſit. Ex nominis enim interpretatione rei facillime deducitur demonſtratio, *l. 1. pr. ff. de Reb. credit.* Quintil. *Inſtit. Lib. XII.* cum res ſe ſimul aperire ſoleant cum verborum etymologia Ariſtot. *Lib. I. Sophiſt. Elench. Cap. 2.* Sciendum autem, hic iterum deſudare DD. in evolvendo hujus vocabuli etymo. Dn. Tabor. *in Ichnograph. Feud. th. II.* Feudum dictum putat a fide, cui

calculum adjicit Ludwel. *Synopſ. Feud. Cap. II. p. 21.* Struv. *d. Cap. II. Aph. I. n. 3.* & quidem ob Textum notiſſimum. *2. F. 7.* Sed non plena in ejusmodi Φιλοσοφήμασι autoritas Compilatori Feudiſtico tribuenda eſt. Bachov. *ad Treutl. Vol. II. Diſp. 26. th. 1. lit. a.* Itter. *de Feud. Imp. Cap. II. §. 9.* Rhet. *de Feud. Clivenſ. & Zutphan. more conceſſ. Sect. I. th. 2. n. 8.* Igitur probabilior videtur ea derivatio, quæ proxime ingreditur naturam rei ipſius. arg. *l. Æmilius ff. de injur. l. 1. § 6. C. de Vet. Jur. Enucl.* qua Feudum intelligimus dictum Stipendium vel bonum Militare a" *Fee & Od.* qſ. **Kriegs-Gut.** Nam **Feede** *bellum*, **Od** autem *bona* Germanis olim denotaſſe evidens eſt. Vid. Carol. du Freſne, *Gloſſ. Voc. Faida.* Schilter. *ad Jus Feud. Alem. Rubric. §. 7.* Id. *ad Struv. S. J. F. Cap. II. p. 7.* Purior Latinis vox eſt, qua *beneficium* Feudum dicitur, cum in ipſis Textibus Feudalibus, *1. F. 1. §. 2. 4. 1. F. 14. pr.* tum apud DD. & alios. Germanis notiſſimo vocabulo audit **Ein Lehn**, cujus originem tradit Boxhorn. *de Trapezit. pag. 809.* Rhet *d. l. n. 9. ſeqq.* Nec mirandum eſſe ait M. Ant. Dominicus, *de Prærogat. Allod. Cap. XV. §. 4.* Feuda denominata fuiſſe a genere obſequii, cum & ipſi poſſeſſores a genere armorum, quibus inſervirent, primam ſumſerint appellationem. add. B. Dn. Hert. *ſæp. cit. l.* Chriſtoph. Lehmann. *Chron. Spirenſ. L. I. Cap. 11.* Celeberr. Dn. Andreas Ockel, *de Præſcript immemor. Cap. II. th. 43.*

§. III.

Homonymice varie Feudum capitur. Alibi denotat *Contractum Feudalem*, & tunc efficienter uſurpatur. *1. F. 28.* Feudum enim Contractus per ſe non eſt, ſed per Contractum conſtituitur, *1. F. 20. 2. F. 9. 25. 2. F. 23.* quamvis & aliis modis conſtitui & acquiri poſſe Feudum per hoc non negemus. *arg. l. 7. C. de bis quæ vi met. c. l. 17.*

C. de

C. de fid. instrum. l. 8. C. de præscript. 30. vel 40. annor. l. 14. de precar. l. 20. §. 1. l. 46. ff. locat. cond. Ludwel. *Synopſ. Feud. Cap. II. p. 25. ſeqq.* Porro ſumitur objective, pro *re in Feudum conceſſa 2. F. 22.* in verb. *forſan quia Feudum malo ordine intravit. 1. F. 4. §. 1. cum ſeqq.* Nullo horum modorum ſimpliciter a nobis accipitur. Sed conſideramus Feudum *formaliter* & *effective* pro *jure in re Feudali* Vaſallo per Contractum vel aliis legitimis modis conſtituto. *2. F. 23. §. hujus autem generis* Godfr. Antonius, *Diſput. Feud. I. tb. 2. 1. F. 25. pr. Sciendum eſt Feudum. 2. F. 1. §. Sciendum eſt. 2. F. 26. §. 4. & paſſim.*

§. IV.

Alterum Rubricæ Membrum reſtat exponendum nimirum vox *Refutatio*, cujus variæ ſignificationes veniunt obſervandæ. Deſcendere a verbo *refuto* planum eſt, quod proprie ſignificat, redarguere, refellere, ab antiquo *futo*, quo de videantur Lexicographi, qui bene obſervant, proprie *refutare* de rebus, *confutare* de Perſonis dici. Vid. *Libelli Vett. Grammat. in Collectione Autorum Lingu. Lat.* quam debemus Dion. Gothofredo *p. 1360.* Poſterioris ævi Scriptoribus *refutare* idem eſt ac *reſpuere, repudiare:* v. gr. refutare teſtes, i. e. infirmare, rejicere, *c. 17. Cauſ. VI. q. 1.* refutare Judicem *Nov. 53. Cap. 3. pr. l. 4. §. 1. C. de in jus voc. l. 12. pr. C. de Judic.* Hacque acceptione venit in Libris Feudorum, *2. F. 9. §. 1. & 2. F. 38.* Calvin. *Lex. Jurid. voc. Refuto.* vel etiam, molliore ſignificatu, *reſignare, renunciare*, qui hujus loci eſt, & ita in Textibus Juris Feudalis reperitur. Ita etiam loquitur Güntherus Ligurinus, de Heinrico Seniore Auſtriaco, quod

- - per ſeptem ſigna Ducatum
Rite reſignarit,

id eſt refutaverit, *L. V. verſ. 560. ſeq.* ubi videantur Spie-

 gelius

gelius, & Rittershusius, *in Notis.* Quandoque tamen in Feudis paulo aliter usurpari volunt, ut sit Medius terminus inter alienare & retinere, quando sc. ad tempus juri nostro renunciamus, ita ut magis videatur jus nostrum pro illo tempore cessare, quam transferri, 2. *F.* 49. sunt verba Paul. Christinæi, *Dec. Belgic. Vol. VI. Dec.* 19. *n.* 3. *seqq.* In Textibus J. F. *Finis Feudi* & *Refutatio* aliquando pro synonymis habentur, & nota est phrasis, *finem facere de Feudo Agnatis*, quod idem denotat, ac *Agnatis Feudum refutare.* 2. *Feud.* 49. Vernacula nostra dicitur, **Eine Auffagung, Abtretung, Aufkündigung, Auflassung, Aufgebung der Lehn.** Struv. *S. J. F. Cap. XII. Aph.* 14. **Sächsisch Lehn-Recht** *Cap.* 77. **Es mag der Lehn-Mann dem Herren auflassen, und Ihme entsagen: Schwaben-Spiegel, in Lehn-Recht** *Artic.* 13. **Will ein Mann sein Lehn seinem Herren aufgeben, und will sein von dem Herren nicht mehr, der Herre mag es mit Rechte nicht gewegern**: Juxta *Cod. MStum*, quem possidet Consultissim. Dn. Præses. Huc certa ratione collineat *Resignatio judicialis*, Saxonibus usitata. **Die Gerichtliche Auflassung, oder der Gerichtliche Verlaß, Ubergab, oder Verzicht**, etiam in allodialibus adhiberi solita. B. Dn. Cancell. Hert. *T. III. Opusc. Dissert. de Convent. domin. translativ.* § 15. *p.* 77.

§. V.

Post vocum Feudi & Refutationis considerationem, paucis adhuc, quid per *Imperii Feuda* velimus indigitandum est. Intelligimus autem voce Imperii, Imperium Romano-Germanicum (de quo, an recte ita vocetur, vid. Conring. *de Germanor. Roman. Imperio*, per tot. Coccejus, *Jur. publ. prudent. Cap. VI. n.* 15. *seqq.*) non aliter

aliter ac illud, uſu quotidiano, Imperium abſolute ſic dictum, aliis Rebuspublicis opponi conſuevit Arumæus, *Diſcurſ. Jur. Publ. XVII. th. 1.* Itter. *de Feud. Imp. Cap II.* §. *11.* Quibus præmiſſis definimus *Feudum Imperii*, quod ſit Feudum Ligium ab Imperatore conceſſum, Vaſallum ad fidelitatem ſibi atque Imperio exhibendam adſtringens. Conſtat inde, cum id *Ligii* nomine complectimur, quo Vaſallus fidelitatem præſtat, contra omnes ſine exceptione, *2. F. 99. 2. F. 52. § 3. verb. nullo antepoſito.* arctiſſimam eſſe obligationem Imperatori atque Imperio debitam, ut proinde nullum ſit dubium, quin Principes & Status Imperii, cæteræque qui Feuda immediata poſſident, Imperatori *ligia fide*, durch eine unauflößliche Bündnüß, contra quoscunque Imperii hoſtes obligentur. Myler ab Ehrenbach, *de Princip. & Stat. Imp. P. II. Cap. 92. n. 4.* adde Stryk. *Ex. Jur. Feud. Cap. III. quæſt. 4.* Ditherr. *addit. ad Beſold. Theſ Pract. voc.* Reichs-Lehn. Et vera ea quidem ſunt, quæ diximus; ſed hæreo, annon aliter in hac cauſa ſentiant Catholici Principes, ſaltim Epiſcopi, propter vinculum, quo Pontifici obſtringuntur, & annon hunc exceptum velint, ubi bellum geri inter Papam & Imperatorem contigerit. Sane monſtroſitas, quam duplicis Capitis reſpectus, & Eccleſiaſtici prærogativa, in omni Civitate Papæ ſacris addicta gignit, mihi ſcrupulos non leves excitat, rem tamen relinquam in medio.

§. VI.

Sufficere hæc poſſunt de nominibus; magis eſt, ut *realem Definitionem* Refutationis Feudorum Imperii ſubnectamus, quandoquidem omnis tractatio, monente eam in rem Cicerone *L. 1. de Offic.* debet a Definitione proficiſci. Eſt ergo Refutatio Feudorum Imperii (1) actus,

quo

quo (2) Vaſallus Imperii (3) Feudum Imperii (4) alteri (5) legitime & tempeſtive (6) reſignat. Diximus (1) eſſe *actum*, quem genus eſſe volumus, nomen conducibile, ſive re, ſive verbis quid agatur. *l. labeo 19. ff. de Verb. Signif. l. 3. §. 1. ff. de Oblig. & Action. l. actus C. de feriis. l. 77. de Reg. Jur.* Agere enim eſt quodlibet humanum factum expedire. Quintil. *L. II. Cap. 16.* & vox actus comprehendit etiam ea, quæ ex eo pendent ac naſcuntur. *arg. l. 6. de Evict.* cui tamen actui lex dat formam, utputa cum de tempore, & de modo actus ſtatuit. Dn. Hert. *Diſſ. de Colliſ. Legum. Tom. I. Opuſc. Sect. 4. §. 7.* Dicimus (2) Refutationem fieri a *Vaſallo Imperii*, ſive ſit Status Imperii, i. e. qui voto & ſeſſione in Comitiis gaudet. *Rec. Imp. de Ao. 1548. §. 56.* Paurmeiſt. *de Jurisd. L. I. Cap. 4. n. 1.* Arumæus, *Diſc. Jur. Publ. XXXIII. Cap. 3. th. 8. lit. d.* Id. *de Comitiis Cap. IV. n. 1.* ſive non. Conſtat enim, non omnes Imperii Vaſallos eſſe ſtatim Status Imperii. *Rec. Imp. de Ao. 1564. §. 29. ibi:* **So nicht Stände des Reichs.** Schweder. *Introd. ad Jus Publ. Part. Spec. Sect. II. Cap. 1. §. 2.* Itter. *l. c. Cap. V. §. ult.* Myler. *d. l. P. I. Cap. 10. n. 2.* Dicimus (3) quod Objectum Refutationis ſit *Feudum Imperii*, de quo jam præoccupavimus §. *V.* & infra pluribus dicemus. Add. Godofr. Anton. *Diſp. Feud. I. th. 3. lit. b.* Subjectum cui refutantur Feuda Imperii (4) voce *alteri*, tanquam generali innuimus; intellige autem vel Dominum directum Imperatorem una cum Imperio, vel Deſcendentes, vel Agnatos, vel Extraneos, ad quas tamen Refutationes poſt occurrentes limitationes adhibendæ ſunt. Diximus (5) *legitime* & *tempeſtive* debere fieri Refutationem. Ecce formam hujus actus, qua non obſervata omne negotium ruit in nihilum. *l. 9. §. 3. ff. ad exhibend.* Forma enim a legibus tradita cenſetur eſſe de ſubſtantia

actus

actus formati. Besold. *de Ærar. publ. Cap. V. quæst. 3.* Et quidem vox *legitime* plura complectitur, quæ infra latius exponentur, in iis tamen etiam id est vel ex præcipuis, ut fiat Refutatio *in tempore;* non ubi hostis imminet, vel Dominus jam in procinctu est, nec aliis æque idoneis militibus, vel servitiis se instruere potest. Ludwel. *Synops. Feud. Cap. XV. p. 311.* Stryk *Caut. Contract. Sect. II. Cap. 8. §. 53.* Id *Exam. Jur. Feud. Cap. XXII. quæst. 12.* Dicimus (6) *resignat:* Ultimum hoc est nostræ Definitionis, & Finem ob oculos ponit, quo de infra pluribus.

§. VII.

Refutatio alia est *propria*, alia *impropria*. Illa fit, quando Vasallus directo in manus ipsius Domini Feudum refutat 2. F. 9. Hæc dicitur, quando in gratiam Descendentium vel Agnatorum cæditur beneficium. 2. *F. 14. 49.* Vultejus, *Feud. L. I. c. 10. n. 75.* Rittershus. *Partit Feudal. L. II. c. 2. n. 9.* Aliam iterum vocant *impropriissimam*, quæ contingit cedendo extraneo, meræ & simplicis potius alienationis, quam refutationis nomine insignienda. Dn. Tabor. *d. Dissert. Cap. I. th. 3.* Ludwel. *Synops. Jur. Feud. Cap. XV. p. 311.* Circa hasce cessiones obiter & in antecessum (quia alias hæc ad Formam Refutationis pertinent) notandum, quod non uno eodemque modo sese habeant. Refutatio enim fit vel Feudi novi vel antiqui. In casu priori Refutatio Domino facta præjudicio erit descendentibus, utpote quorum jus a Patre dependet, cujus nec factum impugnare possunt *l. 14. C. de R. V.* In casu posteriori tantum ad Vitam Refutantis nocebit, eo autem mortuo, ad liberos vel Agnatos beneficium devolvitur. Jul. Clar. *L. IV. Sentent. §. Feudum. quæst. 34. n. 3.* Rittershusius, *l. c. p. 307. seq.* ubi Cujacio contrarium tenenti respondet. Quanoo vero

Refutatio fit extraneo, ista licita non erit, absque consensu Domini, & Agnatorum omnium, quorum interest. Praeterea aliae sunt cognitae Refutationum species. Est enim Refutatio vel *vera*, qualem hactenus descripsimus, vel *quasi Refutatio*, 2. *F.* 39. quae est, quando aliquis refutandi facultatem alias habens, per Contractum Libellarium (quod olim frequenter factum apparet ex *1. F.* 13. 2. *F.* 39) in Agnatum v. gr. Feudum transtulerit, quod ita interpretari jubet Feudista, ut potius pro quasi Refutatione habendum. Conf Rhetium, *Comment. Jur. Feud. p.* 247. *p.* 380. *p.* 386. Porro Refutatio est vel *simpliciter*, vel *secundum quid* talis. Illam & *realem* Dd vocant, si quis refutando penitus suum jus in habilem alias transfert. omninoque illud cedit, ita ut refutantibus regressus plane non detur. Cæs. Manentus, *Consil. XLV. n.* 72 *seqq.* Hanc vero, si quoad certas tantum personas, quis refutaverit, & reliquum jus salvum sibi reservaverit. Casus est in 2. *F.* 49. ubi conferri merentur Rosenthal. *de Feud. Cap. II. Concl.* 20. *n.* 5. Rhetius, *l. c. p.* 392. Plures adhuc Divisiones Refutationum adferre possemus, v. gr. quod aliae sint *licitae*, aliae *illicitae*, porro aliae, quae *volente Imperatore*, aliae, quae *invito eo* fiunt, & similes. Sed quia de iisdem dicendi occasio in sequentibus dabitur, nunc in earum expositione tempus non teremus.

§. VIII.

Progredimur ad *Causas*, quarum aliae sunt externae, aliae internae. De illis prius agendum. Externae sunt *Efficiens* & *Finis*. De *Fine* peculiariter hic non dicemus, sed ejus considerationem conjungemus infra cum tractatione Effectuum; quod autem ad Causam Efficientem attinet, illa vel est *Juris* refutandi, vel *actus*. Utramque considerabimus. Et quidem quod jus refutandi attinet,

attinet, ejus Causa Efficiens est vel *proxima* vel *remota*: hæcque porro vel *principalis*, vel *minus principalis*. Conf. B. Taborem, *Dissert. de Refut. Feudi, c. II. §. 1.* Causam Efficientem *remotam Principalem* agnoscimus Jus Feudale Commune, ex quo in Imperio generaliter recepto etiam refutandi facultas concessa intelligitur. Quia vero adhuc dubitari possit de illa justitia, dubia potiora primum removebimus. Possit ergo dubitandi ratio hinc oriri, quia Obligatio, quam parit Contractus Feudalis, est ab utraque parte mutua, adeoque invito altero contrahente dissolvi nequit. *l. 5. C. de O. & A. l. 16. C. de Jure deliber.* Barbos. *Lib. III. Cap. 62. axiom. 25.* Ad quam respondeo: in universum verum non esse, vinculum obligationis ubique operari indissolubilitatem. Datur enim in quibusdam casibus pœnitentia. §. 9. & §. *Mandatum 11. I. de Mandat.* §. *Manet. 4. I. de Societ. l. 65. §. 3. ff. pro Socio.* Brunnem. *ad d. l. 5. C. de O. & A.* & in Feudis 2. *F. 14. 2. F. 38.* cum obligatio non simplex, sed propter rem contracta appareat. Winziger. *ad Stryk. Ex Jur. Feud. Cap. XIX. quæst. 20.* Frustra porro reperitur: Dominus invito Vasallo Feudum adimere nequit. *1. F. 21.* Ergo neque Vasallus saltim invito Domino refutare potest, ob naturam & qualitates correlatorum, quorum unum alterius petit coëxistentiam. §. *ideo autem J. de Servit. præd.* Huic dubio occurrimus ostendendo diversitatem relatorum. Nam priori in casu gravem inferret injuriam Vasallo Dominus, eumque haud exiguo multaret dispendio, si nihil tale meritum beneficio suo defraudaret. Ludwel. *Syn. Feud. Cap. XV. p. 309.* In Casu vero posteriore Domino nullum generatur præjudicium, cui avulsa dominii pars restauratur, & facile est, ubi bona in Feudum iterum conferre velit, novum Vasal-

lum invenire. Vultej. *de Feud. Cap. X. n. 76.* Quod ipſum quoque dicendum eſt, ſi in gratiam Agnati quis refutaverit, dum ex vi primæ inveſtituræ, & juris inde quæſiti Feudum ad Agnatum pervenit, & ita Domino per hoc nihil decedit. Et ſane propugnamus hancce ſententiam expreſſis textibus Juris Feudalis Communis, quorum ſedes in *2. F. 38. 39. 2. F. 44. in fin. & 49.* Cum quibus etiam conſentire Jus Feudale Alemannicum jam ſupra §. *IV.* oſtendimus, & apparebit id adhuc evidentius ex iis, quæ infra in tractatione *Formæ* adducemus. Cauſa Efficiens *remota minus principalis*, quæ incitat & movet tantum ad exequendum actum, Barboſ. *L. III. Axiom. 12. Cap. 10.* ſuaſitque, ut poteſtas refutandi Feudum introduceretur, eſt *Æquitas.* Cum enim beneficiarius ex gratia & benevolentia Domini Feudum poſſideat, licebit huic renunciare, ne invitus gaudeat beneficio. *l. 69. ff. de Reg. Jur. l. 19. §. 2. ff. de donat.* Quod tale non eſt, quando quis accipere cogitur. Senec. *L. II. de Benefic. Cap. 19.* Et cum duo ſint genera liberalitatis, autore Cicerone, *de Offic. primo:* unum dandi, alterum reddendi, in utroque officia humanitatis expleta eſſe videntur, quando, qui tenet beneficium, in compenſationem & remunerationem illud refutaſſe cenſendus eſt. *v. l. 7. ff. de Serv. export. l. 2. §. item Varus. ff. de aqu. & aqu. pluv. arcend.* Plin. *in Panegyr. ad Trajan. Cap. 36. in fine.* Quibus etiam hanc addunt rationem Dd. quod unusquisque favori & juri pro ſe introducto renunciare poſſit, eoque non uti. *l. penult. C. de pact.* vid Rittershuſ. *Partit. Jur. Feud. L. II. Cap. 2. p. 306. Cauſam Proximam* conſtituit approbatio & receptio hujus juris ab Imperatoribus, etiam in Feudis Imperii facta, plurimis exemplis facile probanda. Ita enim Ansfridus Comes, qui circa finem Sec. X. *Epiſco-*

pus

pus Ecclesiæ Trajectensis factus, Comitatum Hoyensem *in manibus Ottonis II. Imperatoris*, (ita enim verba habent) *resignasse* legitur, ap. Wilh. Hedam, *in Hist. Episcop. Ultraj. p. m. 286.* Narrat idem Otto de St. Blasio, *Append. ad Ottonem Frisingensem*, Ducem Guelfum, Imperatori Friderico Feudalia, quæ hactenus possederat, beneficia resignasse. Exemplum Henrici Austriæ Ducis, qui Bavariæ Ducatum in manus Imperatoris resignavit, præcedente §. IV. adduximus, & plura habet Itter. *l. c. Cap. XXII. p. 962. seqq.* Hinc extra omnem dubitationis aleam positum esse videtur, Refutationem Feudorum Imperii esse licitam, licet eandem in *Feudo Ligio* (qualia esse Feuda Imp. jam demonstravimus) locum non habere putet Bald. *in cap. Cæterum X. de Judic. n. 11.* cum pœnitentiam ligatio illa pene omnem respuat. Schneidew. *de Feud. P. I. n. 45.* ex eo, quod fidei ejusmodi ligiæ solutio argumentum præbeat perfidiæ, vel invasionis suspicionem insignem. Conf. Gregor. Tholosan. *Synt. Jur. Univers. L. VI. Cap. 19. n. 30.* Cöppen, *Obs. Feud. II. n. 35.* Tusch. *T. III. Concl. 149. n. 7. lit. F.* Rosenthal. *de Feud. Cap. II. Concl. 4. Cap. IX. Concl. 51. n. 10.* Verumenimvero respondemus: magis & minus non variare rem ipsam. *l. Titio 108. de Verb. Oblig. c. Scire debet 8. distinct. 76.* Illa nimirum fides arctissima non impedit, quo minus Feuda Ligia aliorum Feudorum naturam retineant. Est enim utrobique causative constituta obligatio, & durat Vinculum Ligium, quousque Vasallus illam qualitatem non exuerit. Godofr. Antoni, *Disp. Feud. IX. th. 2. lit. d.* & cum leges non distinguant, temere a regula *2. F. 38.* ea excipienda non sunt. *arg. l. 8. ff. de publ. in rem act. l. 4. ff. Si libert. ingen. esse dicer. l. 19. C. de Collat. l. 2. §. 5. ff. de Vi bon. rapt.* conf. Ludwell. *Synops. Feud. Cap. XV. p. 310.* Itter. *de Feud.*

Imper. Cap. XXII. §. 9. p. 962. Schrader. *de Feud. P. IIX. Cap. I. n. 63. ſeqq.*

§. IX.

Cauſam Efficientem *juris*, quod permittit refutationem Feudorum Imperii, vidimus; divertimur nunc ad Cauſam Efficientem ipſius *actus refutandi*, ſeu, ut alias dicitur, *Subjectum*, quod eſt vel *activum* ſeu occupans, vel *paſſivum* ſeu recipiens. Illud conſtituunt *omnes Vaſalli Imperii*, ſive ſint Status Imperii, ſive non ſint, e. gr. immediati Imperii Nobiles. Item ſive ſecu-lares ſint, ſive Eccleſiaſtici, dum & horum intereſſe poteſt, ut a ſervitiis & obligatione Imperio debitis liberentur. Tabor, *Diſp. de Refut. Cap. III. §. 1.* Quid vero *Si Imperii Vaſallus aliquis Feudum Imperii vel partem ejus cuidam tertio in Sub-Feudum conceſſerit* (de quo vid. Itter. *l. c. Cap. XXII. §. 3. ſeqq.*) *poteritne & hic Sub-Vaſallus beneficio ſuo renunciare?* Reſpondemus, quia hæc juris facultas generaliter omnibus Vaſallis data eſt, & in aliis Feudis ſub-infeudatis id licere, res eſt notiſſima, non apparet ratio, quare Sub-Vaſallo tali, ob idem jus in re in Sub-Feudum conceſſa, quod alius Vaſallus in re Feudali habet, jus refutandi non debeat concedi, dummodo id notetur, quod non Imperatori, ſed illi Imperii Vaſallo, a quo ſub-inveſtitus eſt, refutare poſſit. Cæterum requiritur in Vaſallo Imperii Feudum refutaturo, ut vere conſentire poſſit, & legitimam rerum ſuarum habeat adminiſtrationem, cum Ceſſio hæc alienationis ſpeciem præ ſe ferat. Hinc ſequitur, actum hunc celebrare non poſſe *Pupillum*, *Imperii Vaſallum*, propter judicii imperfectionem, & lubricum ætatulæ augmentum. *l. 5. l. 189. de Reg. Jur.* Cum enim hic meliorem quidem ſuam conditionem, non vero deteriorem facere poſſit, etiam

ſine

ſine Tutoris autoritate. *pr. I. de Autorit. Tutor. I. Pupillus 11. ff. acquir. rer. domin.* a ſe ipſo ſequitur, ejusmodi renunciationem, quæ alienationis ſpeciem habet, a Pupillo, Vaſallo Imperii, factam nullius eſſe momenti, quia nullum jus, ne quidem obligationis, ipſi alienare licitum eſt. *l. 15. ff. de Solut. arg. 2. F. 3.* Atque ne ſic quidem Feudum refutare poterit, ubi Tutor autoritate ſua adſtiterit; ſiquidem lex de decreto Magiſtratus adhibendo, non minus ad alienationem Feudorum, quam aliorum immobilium pertinet. *arg l. 3. §. 4. cum ſeqq. de reb. eor. qui ſub tut. l. 22. C. de adminiſtrat. Tutor. 2. F. 23.* Difficultatem autem hæc non levem pariunt, ſi ad *Refutationem Feudorum Imperii Imperatori faciendam* applicentur. Ecquis enim in hoc caſu daret decretum? Nonne ipſe Imperator? Atqui ſic foret Judex in propria cauſa. Et quid ſi in Feudi Refutationem Imperator conſentire nollet? Putamus ergo, ideo Pupillorum, Imperii Vaſaliorum, bona Feudalia hoc modo alienari non poſſe, quia non eſt Judex, qui decretum dare poſſit, quod tamen utique neceſſarium eſt, & cauſæ cognitionem requirit. Imo tametſi ſit, qui decretum dare poſſit, vix tamen inde talis Refutatio procederet, quia (1) bona pupillorum tantum in caſu neceſſitatis, etiam cum decreto, alienari poſſunt, *l. 12. C. de præd. Minor. l. 5. §. 9. ſeqq. ff. de rebus eor. qui ſub tut.* (2 Quia Refutatio fere ſimilis eſt donationi, quæ uti nec cum Tutoris autoritate *l. 1. §. 1. 2. de tut. & rat. diſtr.* ita nec ex decreto valet, *l. fin. C. Si major fact. alienat. ratihab.* Ex iisdem rationibus neque *Minor Imperii Vaſallus* Feudum refutare poterit, quemadmodum etiam Minores in univerſum res ſuas in Feudum dare nequeunt. unde tamen tantum præjudicii ipſis non metuendum, quantum inde oritur, ſi omnino

Feuda

Feuda refutant. Apparet autem ex his facile, aliud ſtatuendum eſſe, ſi neceſſitas vel alia prægnans ratio urgeret, ut Imperii Feudum a talibus *ad Agnatos* per Refutationem transferatur; eo enim caſu Imperatoris decretum impetrari poſſit, & diſpoſitiones adductarum legum vim ſuam eſſent amiſſuræ. Sed quid de *furioſis & mente captis*? Hi quatenus in eadem cum præcedentibus conditione ſunt, ſuis rebus ipſi ſupereſſe nequeunt, ſed Curatoribus ſubjiciuntur, eatenus eadem quoque redit reſponſio, &, pro diverſitate caſuum, aut habet, aut non habet locum Refutatio. Referendi huc etiam veniunt *Predigi Imperii Vaſalli*, quatenus pro talibus declarati nihil ipſis alienare poſſunt, ut ſcilicet eædem circa ipſorum refutandi facultatem valeant jurium diſpoſitiones, quas obtinere diximus circa perſonas præcedentes.

§. X.

A modo dictis tamen perſonis inhabilibus ſeparandi ſunt *ſimplices & hebetioris ingenii homines*, qui habent aliquem ſenſum, licet debilem & imminutum, propterea tamen conſenſum actibus atque negotiis interponere, teſtamenta condere, nuptias contrahere, & his ſimilia eos facere poſſe probat Sande, *Deciſ. Friſic. L. II. Tit. I. defin. fin.* Sic renunciaſſe legimus Succeſſioni Electorali Brandenburgicæ Johannem, Friderici Primi Electoris Marchionis Brandenb. Burggravii Norimbergenſis Primogenitum, quod eſſet ingenio placidiore & otii liberalis amans. Vid. Itter. *de Feud. Imper. Cap. XII.* §. 24. ubi plura exempla talium recenſet, unde propter rationis paritatem concludimus, idem quoque ſimiliter conſtitutis licere in Refutatione Feudorum Imperii. Diximus Johannem, Friderici filium, renunciaſſe Succeſſioni Electorali, unde non poſſumus non obiter notare,

notare, Autorem des Europäischen Herolds varie hic impegisse. Rem enim ita narrat, ac si Pater, Elector Fridericus, simpliciter ultima voluntate constituisset, secundo genitum Fridericum, primogenito Johanni in Electoratu debere anteferri, & id quidem ut loquitur, *indubie* vi privilegiorum A. 1476. ab Imperatore Friderico obtentorum, quibus data Electorali Domui potestas, ut de Electoratu & eidem annexis terris libere tanquam de allodio disponere possit. *P. I. Sect. 2. artic. 4. p. 281.* Enimvero quicquid sit de isto privilegio, *primo* erroneum est, ex Patris dispositione obligatum fuisse ad cedendum Electoratum Johannem; dum potius ad Patris preces & solo libero consensu id factum. En Æneæ Sylvii verba: *Fridericus Marchio Brandenburgensis, conditurus Testamentum, quatuor ad se filios evocavit, Johannem, Fridericum, Albertum, & alterum Fridericum, Johannemque, quod is major natu esset, in hunc fere modum allocutus fertur: primus ego, ut nosti, dignitatem Electoratus Imperii in nostram familiam induxi, quum essem Sigismundo Cæsari ad modum familiaris. Nunc vocat me suprema necessitas, curæque mihi est, ne tantum decus in Domo nostra vilescat. Tibi, ut video, quietis & tranquillitatis est unicum studium. In Electoratu præter curam & assiduam laborem nihil invenies. Eam ob causam, si tua voluntate id possum, Marchionatum Brandenburgensem, cui jus eligendi Cæsarem est concessum, Friderico, qui tibi ætate succedit, quique est vigilantior, & ad labores durior, quam Tu, videtur, testamento relinquam. Tibi Voigtlandiam, Alberto quicquid Franconici juris possideo, & altevi Friderico partem Misniæ. Cui Johannes: Existimavi, Pater, ante hunc diem, chariorem Tibi multo, quam me, Fridericum esse, cum illi sæpe blandirere, neque id ferre non ægre potui. Nunc sententiam*

muto,

muto, & Te, Pater, amo, coloque, qui mihi otium, illi negotium, ſuprema voluntate dimittis. Extant hæc Æneæ Sylvii in Peuceri *Chronico, & in Genealogiis Brandenburgicis* Ge. Seufredi, nec non Reineri Reineccii, ut habent verba *Genealogicæ Deductionis, Electorum atque Marchionum Brandenburgg.* a D. Johanne Monningero, & Wenceslao Gurckfeldero adornatæ, quas in MSćto elegantiſſimo videre licuit ap. Conſultiſſ. Dn. Præſidem. Uti autem *primo* nihil in his de jure, quo Pater de Electoratu in præjudicium primogeniti teſtari potuerit, ſed potius contrarium deprehenditur; ita *ſecundo* magis multo mirum eſt, qui dictus Autor **des Europäiſchen Heralds**, iſtud, quod fingitur, jus ex privilegiis Ao. 1476. ab Imperatore Friderico impetratis derivare voluerit, neque melius ſecum perpenderit, Fridericum Electorem Brandenburgicum, jam Ao. 1437. Teſtamentum condidiſſe, quod ipſe Heraldi Scriptor ibidem confitetur, immo ipſum Fridericum Ao. 1440 adeoque totis ſex & triginta annis ante, quam privilegia obtenta, e vivis diſceſſiſſe. Conf Arum. *Diſcurſ. Jur. Publ. XX § 19.*

§. XI.

De *Vaſallo Imperii Ligio* jam ſupra aliqua tetigimus §. *V. & VIII.* Jam paulo uberius hanc quæſtionem ventilaturi *primo* diſpiciemus; *Quis dicatur Vaſallus Imperii Ligius?* Ubi antequam deſcendamus in ulteriorem rei enucleationem, aliquid monendum eſt circa ipſum vocabulum. Deducit τὸ *ligium* a *ligando* ſeu a *ligatis digitis* (cum olim barbaræ gentes dextrarum colligatione, ad fœdus amicitiæ conciliandum uſæ fuerint, inciſorumque pollicum ſanguinem abſorpſerint) Camerarius, *Hor. Subciſ. Cent. I. Cap. 6. n. 57.* Cæl. Rhodigin. *Lect. Antiqu. L. XII. Cap. 12.* quem morem Neapoli receptum fuiſſe teſtatur

teſtatur Jov. Pontan. *L. II. de rebus geſt. Ferdinandi.* Sunt qui non quidem a *ligatis digitis*, ſed a *ligando κατ' ἐξοχήν*, Feudum Ligium dictum eſſe volunt, quod ſub arctiſſimo fidelitatis vinculo conferatur. Godofr. Antoni, *Diſp. Feud. I. th. 3. lit. b.* Ludwel *Synopſ. Jur. Feud. Cap. III. p. 59.* Alii a *lilio*, inſigni Gallorum, quaſi Gallis primam debeat originem. Ita Forcatulus *de Feud. Cap. III. n. 1.* Singularem opinionem habet Dn. Eyben. *Elect Jur. Feudal. Cap. III. §. 8.* ligiumque appellari putat, a Germanico **leihen**, vel **geliehen**, litera h, mutata in ch, vel g. Placet derivatio Dn. Schilteri, *ad Jus Feud. Alemann. §. 16. & 17.* cui ligium idem eſſe videtur, ac **ledig**, hinc **ledig Mann**, id eſt, homo ab omni obligatione alia vacuus & liber, unde Longobardi corrupte *Lidges*, *ligius* fecerunt. Frider. a Sande, *ad Conſuet. Geldric. Cap. I. n. 25.* Schilter. *ad Struv. Jus Feudal. Cap. III. p 9.* quam probat B. Dn. Cancell. Hertius, *de Feud. Oblat. P. II. §. 6. p. 523.* Videri autem poſſet, diſtinctionem hanc a DD. ideo fuiſſe excogitatam, quod in chartis vetuſtis & barbaricis Vaſallum interdum *hominem*, interdum *ligium*, rurſus *hominem ligium* conjunctim appellari obſervaverint. Giſanius ad *Clement. Paſtoralis. 2. §. rurſus non eſt. de ſent. & re judic.* & *Clement. Romani* §. *Porro de Jurejur.* Uti e contrario Finckelth. *Diſp. II. Controv. 10.* Struv. *Synt. Jur. Feud. Cap. III. Apb. 9. n. 2.* & alii iſtam diviſionem rejecerunt, omne Feudum ligium ſtatuentes, eoque diſſidentes a ſententia communi, quod ea ab accidenti formaverit diviſionem. Per accidens quippe tantum fieri, ut interdum certa aliqua perſona, vel antiquior Dominus excipiatur, quo caſu Feudum *non Ligium* exiſtere communiter docetur. Stryk. *E. J. F. Cap. III. quæſt. 43.* Ut noſtrum ſuper hac re mentem declaremus, ita puta-

mus; ſi *Ligium* pro *obligatorio* accipimus, dubium non eſt, formaliter omne Feudum in ſua natura obligationem ad fidelitatem involvere. Brükner. *Curioſ. Jur. Feud. th. 29.* Quod ſi autem *ligium* pro *obligatorio contra omnes*, ut habet textus, 2. *F 99.* accipiamus, calculum noſtrum etiam communi doctrinæ adjicere non veremur. Dn. Eyben. *d. l.* § *8.* Licet enim Feudum *Ligium*, & *non Ligium*, quoad firmitatem Vinculi Vaſallitici ab invicem præcipue differant, quorum quod in illo præſtatur, arctius, quod in hoc, laxius ſtringit, majus autem & minus alias rem non varient: reſpondemus tamen cum Dn. Eyben: *Si brocardico: Plus & minus non variant ſpeciem, res morales vel juridicas ſubjiciemus, prope nullæ earum remanebunt ſpecies. d. l. p. 34.* Cæteroquin illa Ligii qualitas, ſeu nexus arctioris ratio, non unam producit differentiam, ut mox videbimus. Conf. & Dn. Eric. Maurit. *Poſit. Feudal. Decad. II. poſit. 10* Plura de Ligio ſingularia vid. ap. Petr. Gregor. Tholoſan. *Syntagm. Jur. Univ. Lib. VI. Cap. 2.*

§. XII.

Sic igitur *Vaſalli Imperii Ligii*, quia ratione ſubjectionis & Feudi ſimul tales ſunt, *Receſſ. Imp. de A. 1521.* **Ordnung des Land-Friedens zu Wormis.** *in pr.* & *de A 1566. §. 46. pr* Dn Hert. *de Superior. territor. §. 70.* fruſtra oblactantibus pluribus, quos ſummatim vid. ap. Itter *l. c. Cap XIX. § 6. 7.* & Noviſſime Winzigero, *ad Stryk. Ex Jur. Feud Cap. XIII. quæſt. 16.* qui omnem ſubjectionis qualitatem ab Imperii Statibus indiſcrete nimis auferunt; Imperatori tenentur fide ligia contra quouscunque, nullo antepoſito Knichen *de pact. veſt. L. II. Cap. 5. n. 123.* Sunt enim Proceres Imperii noſtri Imperatoris & Imperii non quidem homologi, nti Beſoldus, *Theſ. Pract. Voc.* **Ligiſch Lehn**, loquitur. (Confer, quæ circa hanc vocem

vocem monet Petr. Gregorius, *Syſtem. Jur. Univerſ. L. VI. Cap. 2. n. 25.*) Vaſalli tamen arctiſſime & cum vera quadam ſubjectione obligati, id quod ipſi perinde paſſi ſunt: **Daß Sie ſich auch mit ihren Leibern, Landen, Leuten Ihrer Kayſerl. Majeſt. die ſich in allem für ihren rechten einigen Herren und Kayſer erkennen, ohne Mittel alſo unterworffen, daß Ihr. Majeſt. des alles mächtig ſeyn ſoll.** ap. Hortleder. *L. V. de Cauſ. Bell. German. p. 44.* & in juramento ſe obligant, tenore inveſtituræ verborum: **Als einem gehorſamen Fürſten des Reichs, und getreuen Vaſallen zuſtehet ꝛc.** Myler. *de Princip. & Stat. Imp. P. III. Cap. 93. n. 2.* Et debetur ſuprema hæc ligietas ſeu hominium Ligium Principi Supremo non cognoſcenti Superiorem, 2. *F. 52.* qui in Imperio noſtro Romano-Germanico eſt Imperator. Vultej *ad l. F. 8. n. 22.* quia Feudum Ligium ſtricte ſic dictum non poteſt recipi ab eo, qui recognoſcit Superiorem, propter Obligationem præciſam, quam debet Ligius Domino ſuo. Cardin. Tuſch. *d. Concluſ. 149. n. 10.* Dubitarunt tamen minime etiam Duces & Comites olim hominio ligio Vaſallos ſibi obſtringerē. Robert. Montenſ. *ad A. 1173.* Petr. Bleſens. *Epiſtol. CLIII.* Alteſerra, *d. Cap. IX. p. 34.* ſed factum hoc fuit turbidis maxime temporibus, ubi anomaliæ multæ in Rempublicam, ejusque regimen irrepſerunt. Manet igitur, Imperii Vaſallos eſſe Ligios, neque tamen inde ſequitur, eos per hoc ſua Feuda Imperatori vel aliis non poſſe refutare, quod jam ſupra impugnavimus. Refert quidem Vincent. de Anna, Baronem quendam Regni Neapolitani ob renuntiationem Feudi Ligii pro Rebelle fuiſſe declaratum. *Deciſ. rubr. de Vaſallo decrepitæ ætat. n. 148.* ſed hoc nihil ad noſtri Imperii Vaſallos, & forſitan iſte

Baro doloſe Feudum refutavit, quo de pluribus infra. Quæ enim quæſumus, ratio eſt, quod deterior debeat eſſe conditio Vaſalli Ligii, quam iſtius, qui tenetur ad fidelitatem inferiorem. Sane, cum in majori dignitate Beneficiarios Imperiales poſitos eſſe conſtet, indignum fuerit, Vinculum iſtud arctiſſimum eo interpretari, ut propterea libertas onus Vaſalliticum excutiendi interdicta cenſeri debeat, modo non ſit intempeſtiva vel doloſa; *A. B. Tit. XIV.* quod proſixius proſequitur Rumelin. *ad A. B. P. II. Diſp. 4. th. 19. cum ſeqq.*

§. XIII.

Vsque adhuc de Subjecto activo, ſeu Perſonis, quæ refutare poſſint, vel non poſſint, egimus. *Subjectum paſſivum*, ſeu cui fit talis Refutatio, conſtituit *Imperator* Noſter AUGUSTUS, qui dicitur *Caput populi Chriſtiani & Imperii. A. B. Tit.* II. §. 3. *Rec. Imper. de A. 1529.* §. **Und anfänglich belangend** *1. Advocatus & Defenſor Eccleſiæ ſtrenuus Rec. Impor. de A. 1518. pr. & 1530* §. **nachdem aber uns.** *10.* Capit. Joſeph. *Artic. 1.* Wehner. *Obſerv. Pract. verbo* **Vogthey** Cn. Hert *Comment. de Lytro. Sect.* I. §. *9.* Goldaſt. **Polit. Reichs-Händel** *p. 324. & 608.* Domino igitur huic Feudorum Imperii directo, quin recte fiat Refutatio dubium non habet, ſiquidem juſtiſſimum eſt, ut beneficium in ejus, unde prodiit, manus reſignetur, quando quis amplius idem habere non cupit; & totius Germaniæ hanc eſſe conſuetudinem teſtatur Zaſius, *de Feud. P. X. n. 55.* Uti vero de hoc ambigi non poteſt, ubi Imperator in Refutationem conſenſerit; ita fortaſſis ſcrupulus naſci poſſit, & quidem propter rationes generales ſupra § *IX* allatas, *an etiam invito eo talis Refutatio procedat?* Nos ex generali diſpoſitione textus 2. *F. 38.* inhæremus affirmativæ, &, ne

craniben

craniben bis coctam apponendo tædium excitemus, ad ſuperiora nos remittimus. Siquidem diſſenſus Imperatoris ordinariam & regularem Feudorum naturam neque noſtro in caſu immutat, ſed obligatio Vaſallitica propter rem contracta re deficiente eatenus emoritur. Winziger, *ad Stryk. Exam. Jur. Feud. Cap. XIX. quæſt. 20.* Sunt tamen, quæ adhuc diximus, cum aliqua *ampliatione* accipienda, ſcilicet ut in ejusmodi Refutatione Feudorum Imperii Imperatori facta *Imperium noſtrum* non excludatur, ſed Refutatio ſimul in ipſum fiat. Inde in Capitulationibus *Caroli V. art. 24. Ferdinandi I. art. 23. Maximiliani II. artic. 26 &c. Leopoldi artic. 30. & Joſeph. art. 29.* **Wann auch Lehn dem Reiche und Uns eröffnet:** qua formula etiam uſus jam ante Carolus IV. in *A. B. Cap. VII. §. ultimo* verb. **als mit einem Gut an Ihn** (nempe Regem Roman.) **und das Reich gefallen.** Neceſſario hinc ſequitur, *non poſſe Imperatorem ejusmodi Feuda ſi contingat ſibi refutari, niſi in Imperii commoda convertere;* & qaidem, vi Capitulationum, non aliis iterum concedi, ſed deſtinari debent, cum Electorum conſenſu, ad ſumtus faciendos in ea, quæ ad Imperii decorem, utilitatem ac neceſſitatem, imo ad ſuſtentandam ipſius Imperatoris dignitatem, ubi propriæ opes eo non ſuffecerit. Vid. *Capitul. Joſephi Artic. XXIX.* cum præcedentibus. Licet enim duos tantum caſus aperturæ exprimant verba Capitulationum (verb. **Wann auch Lehn dem Reich und Uns durch Todsfall, oder Verwürckung eröffnet**) ea tamen etiam ad caſum *Refutationis* recte extendit Limnæus *ad Capit. Carol. V. voc.* **eröffnet** *p. 264.* Quod cur adhuc obſervatum non fuerit, non tam ex arcana quadam ratione Status Domus Auſtriacæ, ut aliqui, qui omnia in invidiam Auguſtæ Familiæ

inter-

interpretantur, quam ex graviſſimis cauſis contigiſſe crediderim. Neque obſtat diſpoſitio A. B. ubi hæc habentur: **Und ob derſelben Fürſtenthum eins oder mehr dem Reich ledig würde, ſo ſoll und mag ein Röm. König, der zu den Zeiten iſt, damit thun und handeln, als mit ſeinem Guth, an ihn und das Reich gefallen.** *Artic. VII. §. 5.* Nam totus contextus oſtendit, ſermonem ibi eſſe de Feudis Electoralibus, iisque Secularibus, quæ quantocyus redintegrari Imperii quam maxime intereſt, quamvis, annon & hic Electorum conſenſus adhiberi debeat, deciſionem noſtram facere nolimus. Notum eſt, quibus argumentis in cauſa Bavaro-Palatina ſuperiori ſeculo hac de re utrinque decertatum fuerit, dum pro Palatinis affirmantibus, præter *Manifeſtum*, & Caroli Ludovici, *Vindiciæ Cauſæ Palatinæ*, Autore Pſeudonimo Jo. Joach. a Rusdorf, & *Everſio Electoratus Bavarici*, pro Bavaris negantibus, præter *Anti-Manifeſtum* Maximiliani, *Aſſertio Electoratus Bavarici*, Jo. Adelzreiteri in publicam lucem prodierunt, & hæc inprimis quæſtio magno conamine in utramque partem ventilata fuit. Conſer. Londorpius, *Tom. I. L. 6. c. 151. ſeqq.* & Itterus, *de Feud. Imp. c. VII. §. 15.*

§. XIV.

Regia *Regis Romanorum* dignitas, poſt Imperatoriam, proximum ſibi vindicat in Imperio noſtro locum. Hinc paſſim vocatur *Caput Imperii poſt Imperatorem. Rec. Imp. de A. 1555. §.* **Und im Fall, da die Kayſerliche Majeſt.** *66. & de A. 1564. §* **So unterſtunden ſich ꝛc.** Arum. *Diſc. Jur. Publ. IV. p. 48.* quod jam ætati ſuperiori libuit, ut Regem Romanorum dignaretur nomine *Coimperatoris*, quemadmodum Otto II. Rex, vivente Patre,

tre, ipsi sibi id nominis tribuit, in charta antiqua, apud Guillimann. *L.* II. *Habspurg.* 7. *p.* 55. De alia Regis Romanorum potestate nunc non erimus solliciti, tantum *quid circa Refutationem Feudorum Imperii obtineat*, &, *an eadem quoque Regi Romanorum fieri possit*, merito dispiciendum. Res, nisi fallor, distinctione expediri optime poterit. Aut enim in locum demortui Augusti Rex ab Electoribus substituitur, in Cæsarem mox promovendus, & hic ab ipso Imperatore non nisi nomine differt. Schweder. *Introd. ad Jus publ. P. Spec. Sect.* I *Cap.* 3. *n.* 8. *seqq.* Aut vivo Cæsari sufficitur, ut esset, qui Imperatori aliquando succederet, & in Imperii administratione adsisteret. Indultu enim Cæsareo eum negotia Imperii suscipere verius dicitur *Rec. Imper. de A.* 1555. §. **Und nachdem bey Vergleichung.** *in verb.* **Demnach haben Wir in Krafft** ꝛc. *18. Capitul.* Maximil. II. *art.* 15. Rudolphi II. *art.* 32. Ferdinandi III. *artic.* 49. Ferdinandi IV. *artic.* 47. vid. late Itter. *de Feud. Imper. Cap. IV.* §. 8. 9. Cui propterea Principes & Ordines nulla tenentur fide, aut jurejurando, nisi post mortem Cæsaris. vid. Capita Transact. Swinfurtens. inter Carolum V. & Electores, in electione Ferdinandi, de A. 1532. apud Sleidan. *L. IIX. ad h. a. p. m.* 223. Arum. *Disc. Jur. Publ. XVII. th.* 42. Patet jam ex hisce, vel nobis tacentibus, Regi Romanorum, qui superstite adhuc Imperatore eligitur, Feuda ab Imperii Vasallis non posse refutari, æque uti nec investire quempiam, & in Vasallum recipere potest. Destituitur enim potestate tali, & quamvis aliquando ejusmodi aliquid sibi attribuerint Reges, ceu inprimis ex Recessibus Comitiorum a Ferdinando I. nomine Fratris Caroli V. habitorum apparet, id tamen ex aliis Imperii Sanctionibus interpretationem atque

restrictionem accipere debet; aut ita intelligendum est, ut ipsi Imperatores ampliorem, quam quæ alias competit, ipsis potestatem concesserint; imo de Ferdinando I. constat, non raro eum plura sibi sumsisse, quam habuerit in mandatis, & ea rata atque grata, quorum e re fuerat, Ordines habuisse, id quod in negotio Religionis non semel factum, Cæsarem etiam inde graviter aliquando offensum observare licet Aliud ergo dicendum est de Rege Romanorum Interregni tempore electo, ad quem solum pertinent omnia, quæ in A. B. de potestate Regis Romani disponuntur, non ad Co-electum Imperatore superstite, quum potius Chrysobullæ repugnet, ut vivente adhuc dum Imperatore alius in Regem eligatur. Talis igitur cum omnia possit, quæ Imperator, utpote a quo non re, sed solo nomine differt, ecquis dubitaverit, etiam Imperii Feuda ipsi posse refutari? Et petimus, quoad hanc in specie potestatem, argumentum ex A. B *Tit. V.* §. *1.* ubi disponitur, quod Regi Romanorum, æque ac Imperatori, investituræ *Feudorum Principalium*, & *illorum, quæ* **Fahn-Lehn** vocantur, reservari, neque Vicarii eam moliri debeant. Unde certa collectio: Si Rex Romanorum Feuda Ordinibus dare potest, sequi, quod & hi ista ipsi viciſſim refutare possint. Diximus, *omnia posse electum Regem Romanorum, quæ potest Imperator.* Scilicet jamdudum evanuit illa superstitio, qua olim creditum fuit, demum a Coronatione Pontificia, & titulum & potestatem suam Imperatores consequi, cui vanæ Pontificum prætensioni uti semper cordatiores Cæsares contradixere, & quidem *Ludovicus Bavarus* Constitutione publica; ita dignus tanto Imperatore Successor *Guntherus* Rex, ex illustri Gente Schwarzburgica, eandem renovavit. Ludovicia-

na

na satis nota est, sed quum de Güntheriana non æque constet, igitur non erit ab re eandem hac occasione in publicam lucem protrahere. Habet autem ita: *Cum Prædecessor noster Dominus Ludovicus felicis recordationis, Romanorum Imperator, legem condiderit, in qua decrevit, Electum in Frackfurt in Regem Romanorum a Principibus Electoribus, aut majori eorum parte, administrationem Imperii ante confirmationem Papalem, habere plenam & omnimodam: Nos, habito Principum nostrorum consilio tam Spiritualium quam Secularium, post electionem nostram ab omni Clero & Populo probatam & confirmatam, eandem Legem hoc edicto nostro in perpetuum valituro renovamus & ratificamus, renovatamque & ratam esse jubemus, decernimusque omnes Processus adversus illam institutos fuisse & nullos esse, Pontificumque Romanorum acta & dogmata adversus eam habita Christianæ doctrinæ & Apostolicæ repugnare, cum ipse Pontifex secundum omnia jura, divina & humana, debeat subesse imperio, nec Imperator in temporalibus illi aut ulli personæ in terris subjectus esse noscatur. Quænam ergo hæc superbia est? Quæ nova & inaudita tyrannis, ut Princeps Romanorum legitimis suffragiis electus, publicæ libertatis Autor, libertate privetur? Ut, cujus esse debeant omnia, ipse non sit suus? Quapropter, ex dictorum Principum a Fidelium Imperii maturo consilio & instantibus precibus, jura Imperii adversus quamcunque personam, quæcunque aliquid in perniciem & destructionem ejus attentare, aut huic nostro edicto & confirmationi contraveni ausa fuerit, strenue viriliterque propugnando, suscepimus, ipsis Principibus ac Fidelibus firmum auxilium fideliter promittentes & suscipientes, declaramus, omnes eos, qui contra hanc nostram confirmationem aliquid dicere aut facere, vel dicentibus aut facientibus consentire præsumserint, tanquam nostros & Imperii rebelles omnibus*

beneficiis, gratiis & dignitatibus, quæ ab Imperio tenent, ipso jure & facto esse privatos, sicuti nunc, & ex tunc eos privamus: Insuper crimen læsæ Majestatis eos incurrisse sancimus, & pœnis omnibus in criminis læsæ Majestatis reos statutis subjacere. Datum in Oppido nostro Franckfurt. VI. Idus Martii, Anno ab incarnatione Domini MCCCXLIX. Anno vero regni nostri primo.

§. XV.

Restat, ut de *generalibus Imperii Vicariis* videamus, quorum potestas quidem ampliſſima est, unde etiam *Imperii Provisores* in *A. B. Cap. V. §. 1.* salutantur, eousque tamen non extensa, ut jus investiendi de Feudis Principum, & illis, quæ vulgo **Fahn- und Scepter-Lehn**, i. e. vexillifera dicuntur, comprehendat. Expressa enim Chrysobullæ Constitutione d. l. collatio illorum Feudorum interdicta ipsis reperitur. Cum autem nihil ibi habeatur de Refutatione, quid hic juris obtineat, non ab re quæritur? Nos putamus, ad ductum A. B distinguendum esse inter Feuda *Principum & vexillifera*, quibus etiam Comitatus & Baronatus Imperii comprehendimus, cum Reinking *de Reg. Sec. & Eccles. Cl. IV. cap. 16.* & inter *alia minora hanc qualitatem non habentia.* De his, non de illis investiendi potestas Vicariis, Palatino atque Saxoni, Electoribus concessa est, sic tamen, ut postea electo Romanorum Regi seu Imperatori de novo juramenta præstentur, antea Vicariis solius Imperii nomine præstita, quæ ipsa ratio in Textu A. B ibidem additur. Unde concludimus, & Refutationem non nisi minorum Imperii Feudorum, Imperii Vicarios recipere posse, non majorum, Principalium scil. atque vexilliferorum. Ratio *prioris* est, quia qui dandi habet potestatem, ille etiam, & quidem multo magis recipiendi facultatem

habere

habere intelligitur; aut, si forte Refutatio fiat in gratiam Descendentium & Agnatorum, dum inde nullum prorsus Imperio præjudicium nascitur, & de jure id licitum est, non apparet dubitandi causa, cur id Vicarii posse non debeant. Sed diversa longe *posterioris* est ratio. Dum enim omnis circa Majora illa Feuda investiendi & conferendi potestas Vicariis adempta solique Imperatori vel Regi Romanorum reservata fuit, sequi videtur, quod circa ea omnia isti in statu quo relinquere, & per consequens etiam Refutationes ad istos pertinere non debeant. Sive enim in manus Domini seu Imperatoris eæ fierent, expectandus utique erit Imperator, cujus hac in causa partes non gerunt Vicarii; sive Descendentium aut Agnatorum in gratiam refutarentur Feuda, & tum hisce opus esset Imperatoris investitura, quam itidem ejus nomine impertiri non possunt Vicarii. Neque obstat, quod invito etiam Refutationem fieri posse supra docuimus, unde consequi videtur, ut & in defectu Imperatoris quibuscunque interea Imperio præsidentibus eadem queat perfici. Nam hæc alia quæstio est, eo nimirum tendens: annon tempore Vicariatus & Interregni ullo modo Refutatio Feudi alicujus Imperii procedere possit, ita ut ex parte saltem Refutantium ea effectum habeat; quam non simpliciter negamus, quamvis tamen ista res non Vicarios, sed futurum potius novum Regem vel Imperatorem tangat.

§ XVI.

Vix operæ pretium fuerit, de eo disquirere: *an Pontifici Romano, vacante Imperio, Feuda Imperii refutari possint?* Notum enim est, quam temerario ausu Antistes ille terreni simul & cœlestis Imperii jura a DEO sibi commissa somnians, Limnæ. *J. P. L. III. Cap. 12. n. 11. 12. &*

ibi in additt. vacante Imperio noſtro adminiſtrationem ad ſe pertinere, & cum Imperii Feudis pro lubitu agere ſuſtinuerit. *cap. licet ex ſuſcepto. 10. §. liceat X. de foro compet. cap. un. ne ſede vacante aliq. innov. in extrav. Joh. XXII. Clementin. Paſtoralis 2. §. nos tam ex ſuperioritate. de Sententt. & de Re judic.* Cui poſtea aſſenſum præbuerunt, neſcio, quo zelo abrepti Viri haud infimæ caveæ, (inter quos etiam Grotius, *de Jure Bell. & Pac. L. II. Cap. 9. §. 11. n. 4*) Vicariatum Pontifici (vi cujus de Feudis Imperii Romani inveſtire, & per conſequens etiam Reſutationes talium Feudorum admittere ille poſſit) aſſeverare non dubitantes. Sed ex quo ſapere faſcinatus quondam Pontificum aſtutia mundus didicit, & publicis Imperii Conſtitutionibus obex arrogantiæ huic poſitus fuit, pro dubii hujus reſolutione vel verbulum amplius proferre velle res eſſet oppido hominum otio ſuo abutentium. Conf. Itter. *Cap. IV. §. final.* Arum. *d. Diſcurſ. XIIX. th. 54. cum ſeqq.*

§. XVII.

Vidimus adhuc Reſutationem Feudorum Imperii quæ fit *in manus Imperatoris.* Præterea etiam iis, qui beneficio primi concedentis ſucceſſuri ſunt, i. e. *Agnatis* recte reſutatur Feudum Imperii, de quo dubium eſſe non poteſt, cum Jura Feudalia Communia, a quibus quoad Imperii Feuda quoad hoc non eſt divortium, id generaliter ita diſponant. Veniunt autem in latiori ſignificatu nomine Agnatorum *Deſcendentes* æque ac *Collaterales.* Illos Dominus tam de Feudo novo quam de antiquo infeudare tenetur. *2. F. 14. 2. F. 39.* Cöppen. *Obſ. Feud. IIX. n. 48.* Mynſing. *Cent. VI. Obſ. 23. n. 3.* id quod & in Imperii Feudis, in caſu ubi Pater in gratiam filii reſutaverit, non aliter obtinere evidens eſt. *Collateralibus*

ſive *Agnatis* Feudum *antiquum* refutari poſſe æque dubio caret, cum iisdem in prima conceſſione jam fuerit proſpectum. Siquidem Dominus, qui Principem iſtius familiæ atque agnationis inveſtivit, non tantum inveſtito, ſed & iſtius liberis ac poſteris ex eo deſcendentibus beneficium illud conceſſiſſe intelligitur *1. F. 1. §. 2.* Conf. Tabor, *de Refutat. Feud. Cap.* III. *§. 8.* Ab hac Juris Feudalis communis diſpoſitione cum nullibi diſceſſum fuerit, res eſt manifeſta, & refutari poſſe hiſce Agnatis Feuda, & teneri Imperatorem, ſi juſta fuerit Refutationis cauſa, ut eos inveſtiat. Feudum vero *novum*, quod initium habet in perſona Inveſtiti, in Agnatum non transfertur, ſed Domino aperitur, quia Refutatio pro alienatione habetur, quoties ei fit, qui jus ſuccedendi non habet. Roſenthal, *de Feud. Cap. IX. Concl. 72.* Sibi enim & poſteris ſuis Feudum accipiens proſpicere voluiſſe cenſetur *2. F. 11.* At Frater non eſt ex poſteris *1. F. 20.* hinc cedendo tali, ut & cuivis extraneo nihil agetur. Ludwel. *l. c. Cap. XV. p. 312.* niſi ſit conceſſum jure Feudi antiqui *2. F. 12.* de quo vid. Struv. *S. J. F. Cap.* III. *Aphor. 3. 2. F. 18.* Mynſing. *Cent. IV. Obſ. 84. n. 2.* Quod idem de Refutatione Feudorum Imperii tenendum. Sciendum autem eſt, Refutationem fieri *Agnatis* vel *remotioribus* vel *proximioribus*. *Priori* etiam *caſu* (nam de *poſteriore* minus dubii eſt) ſubſiſtit Refutatio, quia in prima Inveſtitura jam comprehenſi; adeoque nihil in præjudicium Domini agitur, nec ille inveſtituram denegare poteſt, quam Agnatus debito termino petere tenetur. Myler *ad Rumelin.* A. B. *P.* II. *Diſſ. 4. th. 4. lit. b.* Licet quoque proximiorum conſenſus adhibitus non fuerit, nihilominus tamen ſaltem tamdiu ea valet, donec ſucceſſionis ordine ad ipſos devoluto revocandi

jus

jus obtinuerint. Liberum autem erit proximioribus, ubi in Refutationem non conſenſerunt, intra tempus a jure conceſſum. 2. *F.* 26. §. *Titius.* 2. *F.* 9. §. 1. Feudum, ſi pretio interveniente Refutatio facta, hujus reſtitutione redimere, & jure προτιμήσεως uti. Cöppen. *d. l. n.* 49. Hotomann. *Vol.* I. *Conſ.* 4. Dico: ſi pretio *mediante Refutatio facta;* ſecus ergo ſi *gratis*, quo caſu remotioris mors expectanda, ſicuti etiam ita in Camera Imperiali judicatur, teſte Roſenthal. *de Feud. Cap. IX. Concl.* 52. *n.* 14. Hac occaſione *computatio graduum* ſub cenſuram venit, ut appareat, quomodo Refutatio vel proximiori vel remotiori facta dicatur. Deciſio autem hujus quæſtionis non ex Jure Canonico, ſed Civili potius petenda. arg. 2. *F.* 37. ubi Feudum ad Agnatum proximiorem pervenire dicitur, *ſecundum ordinem gradus, qui continetur in legibus.* Atqui mentione Legum ſimpliciter facta, Leges Romanæ eminenter intelliguntur, §. 2. I. *de Jur. Nat. Gent. & Civ.* Finckelth. *Diſp. Feud. 1. Controv IX.* junctis textibus, quos allegat Dn. Tabor. *d. diſſert. Cap.* III. *th.* 10. Proximitas autem hæc utrum reſpicere debeat primum acquirentem, an poſſeſſorem Feudi ultimum, usque quaque adeo expeditum non eſt. Prius colligunt nonnulli ex 2. *F.* 11. 2. *F.* 50. *in fin.* quia omnes ſuccedentes in Feudo primo acquirenti ſuccedere dicantur, &, quando de Succeſſione primi Inveſtiti agitur, ineptum foret, principium ad ultimi Vaſalli, de cujus ſucceſſione non quæritur, referre conditionem, cum tamen videatur a Majoribus, eorumque Inveſtituris capi beneficium. Bald. *Concluſ.* 137. *n.* 1. Hotom *Diſp. Feud. Cap.* 19. Sed evaneſcunt hæ rationes, ſi placitorum Feudalium lima caſtigentur. Vid. 1. *F.* 1. §. 2. & §. 4 ibi: *ultra fratres patrueles.* 2. *F.* 50. Proximus enim ille dicitur, qui pauciori-

cioribus gradibus a defuncto, vel, noſtro caſu, ab ultimo poſſeſſore diſtat. § 5. & 6. *J. de legit. Agnat Succeſſ. l. 1. §. proximus 5. ff. unde Cogniti.* Eyben *Elect Jur. Feudal. Cap. VII. §. 10.* & licet omnes primo acquirenti ſuccedere dicantur, hoc tamen non niſi mediante ultimo defuncto vel poſſeſſore contingit. Conſil. Marpurg. *Vol. IV. Conſil. 22. n. 10.* Winzig. *ad Stryk. l. c. Cap. XVI. quæſt. 17.* In Feudis Imperii Electoralibus, & aliis ſimilibus, quæ primogenituræ jure utuntur, expedita res eſt, Succeſſionem linealem obtinere inter Collaterales, licet adſint Agnati gradu proximiores in lineolis remotioribus, utcunque etiam a primo illo acquirente deſcendentes. 2. *F. 50. A. B. Tit. VII. §. 2.* Competit igitur Feudi refutati revocatio illi, qui in linea ſpeciali refutanti quoad gradum eſt propior, non illi, qui in linea communi primum acquirentem forte gradu propius attingit. Covarruv. *Pract. quæſt. T.* II. *Cap. 38. n. 9. §. Sexto Regia.* Arumæ. *Diſc. XXI. th. 21.* Struv *S. J. F. Cap. IX. Aph. 7. n. 4. 5. ſeq.* Eyben. *d. Cap. VII. §. 11. 13.* Feudum enim ſemel lineam ingreſſum complectitur omnes eos, qui in tali linea ſunt, & quidem ad ſuccedendum habiles. Petr. Tarnov. *de Feud. Meckl. Cap. II. Sect. 3. §. 33.* Quemadmodum & ita inter Familias Saxonicas Illuſtres Altenburgenſem & Vinarienſem deciſo Imperiali concluſum eſſe refert Itterus. *de Feud. Imper. Cap. XV. § 6. cum ſeqq.* Add. Stryk. *de Succeſſ. ab Inteſt. Diſſert. VII. §. 51.* B. Dn. Hert. *T. II. Opuſc. de Spec. R. G. J. Rebusp. Sect.* II. *§. 9* & qui hanc materiam plene diſcuſſit, Dn. Textor. in *Exercit. de Succeſſ. Lineali & Mantiſſ. pro Succeſſ. Lineali. th* II. *cum ſeqq.* Quodſi autem Feudum fuerit diviſibile, ubi plures adſunt ejusdem gradus Agnati propiores, vel omnes ſi velint, vel aliqui tantum, ſcilicet pro rata ſua parte retrahendi faculratem habent. Hartmann. Piſtor. *L.* II.

qu. 6. n. 30. Reinking. *de Jure Retract. quæst.* II. *n. 418.* Quæritur autem hic, *an, qui Feuda refutarunt, iterum ad eadem pervenire possint?* Ubi varii Casus / discernendi. Si Pater ex amore Feudum antiquum refutaverit filio, is autem ante Patrem, sine descendentibus moriatur, ob cessantem causam Feudum reverti ad Patrem docet Mynsing. & ita judicatum in Camera probat *Cent.* III. *Obs. 93.* Vide tamen singularem exceptionem ap. Manentem, *Consil. XLVI. §. 71. seqq.* Eodem pertinet casus, si avus, non contradicente filio, Feudum in nepotem transtulerit, hic vero sine liberis decesserit, ubi itidem ad Avum, aut si is non amplius in vivis, ad Patrem redit. Rosenthal. *Cap. VII. Concl. 14.* Stryk. *Ex. Jur. Feud. c. XVI. § 2.* Alius casus est apud Myler. *addit. ad Rümelin. A. B. P. II. Diss 4. th. 27.* Quidam Imperii Princeps refutavit Feudum paternum in favorem fratrum suorum, reservato tamen jure succedendi, si fratres ejus sine masculis decederent. Qv *utrum altero tantum ex fratribus sine masculi decedente, frater refutans succedere possit?* Et affirmatur, per *l. falsa demonstratio. §. fin. ff. de Condit. & demonstr. l. hæredes mei §. 1. ff. ad Sct. Trebell.* Ita respondit olim Modest Pistor. *1. Cons. V. qu. 33. n. 55 seqq.* Facit Kirchov. *Cons. X. passim.* Sed verum hoc puto tantum de ea parte Feudi, quam Frater præmortuus possedit Aliam quæstionem ibidem proponit Myler. *An proximior Agnatus, qui Refutationi in remotiorem Agnatum consentit, mortuo remotiore in Feudum refutatum succedat?* Ubi negantem adducit Jac. de St. Georg. *de Feud. vers. & cum pact. n. 36.* Affirmantes autem laudat Bocerum, *de Success Feud. I. n. 88.* & Laur. Kirchovium, *V. Cons. 10* Apparet inde Refutationi aliquando, etiam ubi nihil expresse reservatur, tacitam inesse conditionem atque reservationem, & sic constitui

ſtitui medium quoddam inter alienare & retinere, uti quosdam Reſutationem explicare ſupra ex P. Chriſtianæo monuimus §. IV. Conſultius tamen haud dubie eſt, ut, qui ea mente reſutare vult, id ſemper cum expreſſa reſervatione faciat; ne deinceps ipſi exceptio Reſutationis realis objiciatur. Conf. Manentum, *Conſil. XLVI. n. 72. ſeqq.* Regulariter enim hoc agitur, ut, qui cedit jus ſuum vel Domino vel tertio, nihil ſibi reſervet, niſi aut expreſſum id ſit, aut a lege & moribus tacite præſumatur reſervatum. Schilt. *ad Jus Feud. Alemann. c. LXXI. §. 1.* Certe de Agnato, qui Feudum alteri reſutat, ita expreſſe diſponit Jus Feud Alemannicum, verbis: **Und iſt, daß ein Mann ſiech iſt worden, und hat Lehen von einem Herren, der hat nicht Lehens-Erben, Ihn bittet einer ſein Freund, daß er ſeinem Herren das Lehen auffſaid, bey einem des Herren Mann. Dies thut der ſiech Mann, der Bott giebt dem Herren das Lehen auf, der Herr leihet dem Mann das Lehen. Der Mann unterwindet ſich des Lehens mit des Herren Botten. Das iſt die Gewähr itzund. Der Mann genieſſet (geneſet) und bittet ſeinen Freund, daß er ſeinem Herren das Gut wieder auffgebe, und ihm das Bitt wieder zu leihen. Der Freund verſaget ihm das mit Recht. Und iſt auch, daß er ihn gewährt, und kommen ſie beyde für den Herren, und bitten ihn beyd, der Bitt verſagt er ihn mit Recht, oder will er, und gewährt ſie, das iſt an ſeinem Willen.** Vid. Schilterum, *l. c. p. 210.* & confer Manentum, *l. c. n. 97. ſeqq.* Plura adhuc disquiri hic poſſent, v. gr. de qualitate Feudi, an ea per hoc mutetur, dum reſutatum ad reſutantem revertitur. Sed quia properandum

randum est, tantum Articulos aliquos huc facientes ex Juris Feudalis Alemannici illo Codice MSto, quem supra laudavimus, hac vice apponemus, quia in editionibus impressis vel plane non, vel aliter concepti inveniuntur. Ita autem legitur, *fol. LXXXIII.* **Giebet ein Mann sein Gut auf seinem Herrn, und bittet den Herrn, daß er das seinem Sune leyhe, das heisset nicht Erbe-Lehen** (i. e. Paternum, sed novum) **wann das einem Mann ansterbet.** Et porro, *fol. seq.* **Wer sein Erbe-Lehen aufgibt, und das anderster empfähet, darnach heisset es nicht Erbe-Lehen.** Ratio hujus dispositionis quoad filium aperta est, quia Feudum antiquum seu paternum sola successione a defuncto acquiritur; quare quodcunque Feudum non ita defertur, sed vivo Patre acquiritur, id non amplius est antiquum, sed novum. Vid. Manentum, *l. c. n. 82.* Exceptio est in *2. F. 14.* Conf. Schilter. *Comment. ad J. F. A. c. 70.*

§. XVIII.

Subjicimus adhuc paucis Refutationem Feudorum Imperii factam *extraneis personis*, quæ ideo regulariter non valet, quia nullo plane jure munitum possessoriem habet. Est enim talis Refutatio mera alienatio, jure Feudali prohibita. *2. F 52. 2. F. 55.* Hotomann. *Vol. I. Consil. 4.* Borcholden, *de Feud. C. IIX. n. 57* Et cum jura Vasallo concedunt illis, qui spem proximam & radicatam habent, refutando gratificari, eo ipso interdictam volunt cessionem, quæ fit illi, qui jus cessum detinere non debet. arg. *l. 7. pr. C. de præscript. 30 annor.* Quod si igitur ejusmodi alienatio contingat, ea vel gratis, vel accepta pecunia perficitur. Si gratis degenerabit in donationem, quæ interdicta. *2. F. 9. §. 1.* Sin accepta pecunia,

pecunia, accedet ad Emtionem & Venditionem, & nemo citra debitum Imperatoris & Agnatorum consensum se abdicare potest beneficio in gratiam extranei. 2. *F.* 39. 45. Quæ rationes cum generales, & omni Feudo communes sint, obtinent etiam in Feudis Imperii. Procedit tamen sine dubio & hic istiusmodi Refutatio, si cum consensu Imperatoris, & omnium eorum, quorum interest, ea fiat. Ita enim nemini fit præjudicium, & cessant omnes rationes prohibendi. Sed, *quid si consenserit quidem Imperator, non adhibito tamen consensu proxime succedentium*? Nulla utique erit talis Refutatio, & retrahere possunt, qui jus ex investitura habent, per communia Juris Feudalis principia. Thesaur. *Decis. Pedemont. XCIX.* Schrader. *de Feud. P. IIX. Cap. 8 n. 11.* Sed illud disquiriri possit; *annon in tali casu Refutationi contradicentes & retrahentes ad pretium restituendum teneantur?* Quam quæstionem movet in causa Palatino-Bavarica Jo. Joach. a Rusdorf, & recte pro negativa concludit. *Vindic. Causæ Palat. Cap. XIII. §. 10. seqq.* Quoad Imperii nostri jura singulare est, quod Regi Bohemiæ & Electoribus specialiter indultum *A. B. Cap. X. §. 2.* ut bona Imperii Feudalia etiam sine consensu Imperatoris quocunque titulo sibi comparare possint, non obstante prohibitione, & gravi interminatione. 2. *F.* 52. & 55. Unde recte concludimus, talia etiam per Refutationis modum in ipsos tanquam in extraneos transferri posse, sic tamen, ut simul onera Imperio præstanda in se recipiant. Licet enim Constitutionis Carolinæ verba obscuriora sint, & a Commentatoribus varie exponantur, dum Rumelinus, *ad h. l. Diss. 8. §. 32* de omnibus Feudis indistincte eam loqui, & Imperatoris consensum requiri putat, verior tamen videtur eorum sententia, qui utrumque hoc negant, quia ex

textu evidenter apparet, privilegio Regi Bohemiæ & Electoribus tributo Carolum IV. communi Juri Feudali voluisse derogatum Et ita post Buxtorfium, *ad A. B. Th. 93.* & Arumæum, *Discurs. V. th. 10.* sentiunt quoque Limnæus *ad A. B. Observ. 1. seqq.* Becker *Synops. Jur. publ. L. II. Cap. 5. alii.* Privilegio haud impari gaudent Archi-Duces Austriæ, quo Feuda Imperii quocunque titulo acquirere possunt. Vid. Limnæus, *J. P. L. V. c. 2. n. 32.* Unde dubium non est, idem etiam ad Refutationes extendendum esse. Non possumus hic, dum Feudorum Imperii extraneis, vel in eorum gratiam refutatorum meminimus, sicco pede præterire illum morem, quo, superioribus maxime seculis, Episcopatibus, Monasteriis & Cœnobiis Feuda concessa, & favore piarum causarum, ejusmodi Refutationes a Feudorum Dominis ratæ habitæ, imo amortizationis, ut vocarunt, titulo pleniſſimo jure bona in Clericos translata fuerunt. Tabulas talium Refutationum & inde secutarum concessionum plurimas invenire passim licet apud Vadianum, *de Collegiis & Monasteriis Germ. Vett.* Miræum, *Codice Donationum piarum*, Besoldum, *in Documentis redivivis Monasteriorum Wirtenbergicorum*, & alios; lubet tamen exempla earum nonnulla, quæ lucem publicam nondum aspexerunt, in medium producere, quæ Lectori non ingrata fore putamus. *Primum* igitur continet Refutationem Feudi in gratiam Monialium Ilmenensium factam cum consensu Comitum Schwarzburgicorum, A. MCCXC.

Nos, Guntherus, *DEI Gratia Comes de Schwarzburg, & nos*, Heinricus & Guntherus, *Comites de Schwarzburg, & Domini in Blanckenberg, presenti litera recognoscimus, quod omnia bona, que strenuus miles Conradus, dictus Weyger, sita in Villa Willersleibin & extra Villam, quæ*

a nobis

a nobis in Feodo tenuit, & ad manus noſtras publice reſignavit, dedimus & proprietavimus, ad preces ipſius, Conventui Sanctimonialium in Ilmene, cum omnibus pertinentiis & juribus, ſicut a nobis tenuit, ipſis dominabus libere perpetuo poſſidenda. Super eo preſentem literam dedimus, ſigillorum noſtrorum munimine roboratam. Teſtes hujus rei ſunt milites ſ. venui, Theodoricus de Wilrisleyben, Fridericus de Wizeleyben, Fridericus de Angelrode, Otto de Curia, Bertholdus de Grüzen, Heinricus de Gruzen, Theodoricus de Wizeleyben, & plures alii fide digni. Acta ſunt hæc A. Dn. M. CC. LXXXX. VII. Cal. Mart.

Succedit *alterum*, ſimilis argumenti, de A. MCCCX.

Nos, Henricus & Guntherus, *Fratres DEI Gratia Comites de Schwarzburg, Domini in Blanckenberg, recognoſcimus publice proteſtando, quod conſtitutus* in noſtra provincia *ſtrenuus miles*, Conradus dictus de Ulſtede, *aſſerens, quod quædam bona, quæ a nobis actenus tenuit in Feodo, ſita in Suntremte, marcam & dimidiam penſionis annuæ, quæ dantur de uno manſo & dimidio in Hayſperg, dimidiam marcam & dimidium fertonem* (*ferto* eſt quarta pars marcæ) *Friburgenſis argenti annui cenſus, quæ dantur de uno dimidio manſo, cum una Curia ac Vinea, ac aliis pertinentiis legaſſet Monaſterio Ordinis St. Benedicti in Salvelt, & nomine teſtamenti adſignaſſes, quemadmodum bona prædicta idem Conradus noſtris manibus libere reſignavit & reſignat in his ſcriptis, cum hoc rogans humiliter & devote, ut dicta bona præfato Monaſterio, pro animæ ſuæ & ſuorum Progenitorum remedio appropriare, ſeu in proprium dare dignaremur. Nos igitur dicti Conradi precibus favorabiliter inclinati & prædicto bona propter Deum, & ad humilem ejusdem Conradi rogatum cum omni jure, uſufructu, obſequio & honore, quo præmemoratus Conradus hucusque poſſedit, prædicto Monaſterio*

sterio in Salvelt appropriavimus, seu appropriamus per pre-sentes, ita quod nobis, ac omnibus nostris Successoribus in dictis bonis penitus juris nihil in antea reservamus, sed potius contulimus, ac conferimus ad sepe dictum Monasterium in Salvelt liberaliter in his scriptis; renunciantes igitur, pro nobis ac omnibus nostris Posteris, omnibus exceptionibus Juris & facti, quibus sepe dicta appropriatio in posterum possit in toto vel in parte impediri, seu aliqualiter infirmari. In cujus facti testimonium, & fidem pleniorem præsentem literam sigillis nostris fecimus simul roborari. Facta est hæc donatio anno Domini MCCCX. in die Apostolorum Petri & Pa[illegible].

Addimus prioribus duobus adhuc *tertium*, Refutationis scilicet A. MCCCXXVI. factæ, & hisce literis comprehensæ:

Ne cupiditas, mater litium, inter temporales hoc efficiat, quod filii mortalium ad res temporales injuste presumant extendere manus suas, proinde inter homines mortales actum est, quod acta temporalia & mortalium scripturarum testimonio perennent. Abinde est, quod nos Guntherus, *Senior, DEI Gratia Comes de Schwarzburg, Dominus in Blanckenberg, omnibus has literas visuris cupimus esse notum, tenore presentium protestantes, quod reverendus in Christo Pater & Dominus, Dominus Theodericus, Abbas totusque Conventus Cenobii Celle Pauline, Ordinis S Benedicti, justo emtionis titulo, ab Hermanno de Gruzhein & sororibus suis Adylheide & Jutte, quondam Beginis, comparavit duas marcas census annui, & decem pullos, octo caseos, quartale pise, quem inquam censum nunc pro tempore tanquam inquilini eorundem bonorum solvunt in Villa Sunt Remte, H. dictus Ranzmann, & Conradus dictus Undeo de Vasschen, una cum pullis, caseis & pisa prædictis, & in Villa Nawinden Guntherus, filius Velanini, dimidiam marcam tantum perpetuo*

possi-

possidendas, nosque eadem bona eidem Cenobio ad animæ nostræ remedium, & pure propter DEUM, quia quondam ad peculium castrense castri Blanckenberg spectabant, quemadmodum multis liquet, appropriamus & perpetue libertati donamus, ab omni jure districtus, videlicet exactionibus, taliis, angariis & parangariis tenore presentium eximentes volumus, quod iidem Claustrales predicti possideant bona sua perpetua libertate, ita quod sint ab omni onere subjectionis exempta, & ut id maneat perpetuo inconvulsum, dedimus has literas nostri sigilli robore communitas in testimonium super eo. Testes hujus emtionis, donationis & appropriationis sunt Honorabilis Vir, Dominus Abbas in Salvelt, Dominus Theod. de Wizel, Plebanus in Graben, Frater Fridericus de Ba-- Frater Conradus dictus Stange, Ordinis Fratrum Minorum, Bertoldus de Gruzen, Otto Frater suus, fideles nostri, Henricus dictus de Lutinberg, Scultetus noster, Fridericus --- Domini Abbatis Cellæ Dominæ Paulinæ, & alii quam plures fide digni. Datum Anno Domini M. CCC. & XXVI. feria sexta post Urbani.

Jam de *bonis* & *Imperii Feudis* in specie adhuc breviter monendum est, eadem simili ratione & olim ad Monasteria & Clericos subinde per Refutationis viam perveniſſe, id quod adhuc dum hodie, Imperatoris saltim consensu accedente, fieri posse non est cur dubitemus. Sane qui noverit liberalitatem Imperatorum adversus Sacros Ordines exercitam, quæ tanta fuerit, ut Regiis quoque & Imperii bonis non pepercerint, is facile dictis fidem habebit. Non possumus non, quin chartam ejusmodi cessionis & donationis ab Imperatore Conrado Cellæ Paulinæ in *Principatu Schwarzburgico* A. MCXLV. factæ, quum sit antiquissima pariter & rarissima, hic subjungamus. Ita autem ea habet:

In nomine Sancte & individue Trinitatis; Conradus *Divina favente gratia, Romanorum Rex ſecundus: Quoniam divina providente clementia ceteris natalibus quodammodo ſupereminemus, oportet, ut cujus precellimus munere, illi omnino pareamus in operatione. Noverit igitur omnium fidelium noſtrorum tam futurorum, quam preſentium induſtria, quod nos ob regni noſtri firmam ſtabilitatem, & anime noſtre noſtrorumque Parentum perpetuum ſalutem interventu quoque & petitione Cappellani noſtri Bertolfi, Bambergenſis Eccleſie Canonici, dedimus duos manſos, ad regalem menſuram ex rubeto, quod vocatur* Königs-Holtz, *pertinens ad Villam, que dicitur Varnſtette, Capelle, que conſecrata eſt in honore Sanctorum Georgii & Wenceslai, pertinenti ad cellam Domine Pauline, cum omni utilitate, que inde provenire poteſt, Edicto regali proſpicientes, ne aliquis Succeſſorum noſtrorum Regum ſeu imperatorum, aut alia quelibet perſona, magna ſive parva eosdem manſos a prefata Capella alienare preſumat, ſed noſtra donatio omni tempore rata & firma permaneat. Ut autem hec ab omnibus credantur & inviolata conſerventur, hanc inde Kartam ſcribi & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus, & teſtes, qui preſentes aderant, ſubternotari fecimus; quorum nomina hec ſunt; Fridericus Magdeburgenſis Archi-Epiſcopus, Bucco, Wormenſis Epiſcopus, Reginhardus, Mersburgenſis Epiſcopus, Conradus Marchio, Albertus Marchio, & filii eorum Otto, & etiam Otto, Conradus de Walchuſen, qui dicitur Bernhowbt, Theod. Villicus.*

Signum Domini Conradi, Romanorum Regis ſecundi.

Ego Arnoldus, Cancellarius vice Heinrici Mogunt. Archi-Epiſcopi & Archi-Cancellarii Recognovi anno Dominice Incarnationis M. C. XLV. Indictione VII. regante Conrado Roma-

Romanorum Rege ſecundo, Anno vero regni ejus VII. Data eſt apud Merſeburg in Chriſto fideliter Amen.

Quod autem in ſpecie ad *Refutationes Imperii Feudorum* antiquis temporibus in gratiam Monaſteriorum & Clericorum factas attinet, earum non minus ſubinde veſtigia & exempla reperiuntur, e quibus unum modo & alterum adducemus. Ex Heda, *in Ottone II. Epiſcopo Trajectenſi*, diſcimus, Gerhardum militem de Buchorſt, & ſimul Comitem Geldrenſem A. M. CC. XXVI. *Advocatiam in Sallandia* in manus Imperatori Henrico reſignaſſe, ut dicto Ottoni Epiſcopo XXXIV. ejusque Succeſſoribus, *una cum aliis beneficiis atque Feudis, quæ ab Imperio obtinuerant, perpetuo poſſidenda conferretur. Hiſtor. Epiſcop. Ultraject. p. m. 337.* Similiter ex Hundii *Metropoli Salisburg. Tom. I. rubr.* Epiſcopi Patav *in Addit. l. un. p. 381. ſeqq.* conſtat, A. MCCXVII. Ludovicum, Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bavariæ, *Feudum quoddam in manus* Friderici II. Imperatoris *reſignaviſſe*, ut *Ulrico Patavii*, i e. *Paduæ, Epiſcopo conferretur.* Quo etiam referre liceat Privilegium, ab eodem Friderico II. Ordini Teutonico A. MCCXXI. conceſſum, cujus vigore omnibus Imperii Vaſallis data facultas, ut *Feuda, quæ ab Imperio tenent*, eidem Ordini *licenter & libere*, id eſt, absque conſenſu Imperatoris, non modo tanquam Feuda, utque ſervitia eo nomine Imperatori præſtanda ſalva maneant, ſed & *tanquam propria*, id eſt, tanquam bona allodii & patrimonii jure æſtimanda, conferre, & inde per conſequens etiam refutare queant. Tabulas privilegiorum exhibet Goldaſtus, **Reichs-Handl.** *p. 167.* & Limnæus, *Addit. L. VI. c. 2.* conf. eundem *ad A. B. c. X. Obſ. 6.* Conſimili fere modo (liceat ex Francica Hiſtoria exemplum huc trahere) quo Burchardus

Comes Vaſallis ſuis conceſſit, ut Feuda ſua Foſſatenſi Cœnobio libere tradere poſſint, quemadmodum ex Autore anonymo, qui vitam ejus ſcripſit, refert Alteſerra, *de Orig. Feudor. cap. XV.* Conf. Itter. *de Feud. Imper. cap. XXIII. §. 11.* Antequam ab hac in *Exteros facta Refutatione* diſcedimus, breviſſimis adhuc monendum eſt, in *illis Imperii Feudis*, quæ *Confraternitatis & mutuæ Succeſſionis vinculo cohærent*, ubi nulli adfuerint Agnati, non minus tamen Confratrum atque Domini Directi conſenſum ad Refutationis validitatem, ut in quavis alia alienatione requiri, quo non facto idem obtinet, quod ſupra de Feuds ſine Agnatorum conſenſu refutatis diximus. Vid. Schopius, *Theſ. Feud. p. 420.* Imo ſicubi *Ordines Provinciales* fuerint, ii etiam regulariter conſenſum ſuum debent interponere, ſi quando exteris tale Feudum refutatur. Et id quidem non tam ex iſta ratione, (ad Imperii quippe Feuda, quæ Status fere in patrimonio habent, non quadrante) quod jus alienandi dominium Principatus ſpectat ad Rempublicam. arg. *c. 33 X de Jurejur.* non ad ſolum Principem. Grotius, *J. B. P. L. I. c. 3. §. 13. ſeq. c. IV. §. 9. ſeq L. II. c. 6 §. 3. ſeqq.* Zoannett *de Rom. Imper. n. 162.* Covarruv. *T. I. Relect. c. quamvis de pactis in 6to. P 2. §. 2. n. 4.* quam quod Principes Imperii plerumque teneantur pactis cum Ordinibus initis; & absque conſenſu der geſammten Lands Stände facere nequant, ut Subditi inviti alienis vel ignotis Dominis ſubjiciantur Menoch *Conſ. XXXII. n. 2. ſeqq* Myler, *de Princip. & Stat. Imp. P. I. cap. 25 §. 16.* Zahn. *Ichnogr. Municip. c. V. n. 3. cum mult. ſeqq* Klok *Tom. I. Conſil. 13. n 10. ſeqq.* Ziegl. *de Jure Majeſt. L. I. Cap. 4. n. 28.* Unde cum Comitatus Waldeccenſis Sereniſſimæ Domui Haſſiacæ offerretur, (par quoad hoc ratio eſt *Refutationis*) explorati ante

fue-

fuerunt Subditi Waldeccenſes. Vid. **Waldeckiſche Ehren-Rettung.** *P. 1. Cap. 11.* B. Dn Hertius, *Diſſ. de Superiorit. Territor. Tom. II. §. 65. in fine.* Princeps enim eo in ſtatu Subditos conſervare debet, in quo illos invenit. arg. *l. 64. C. de Decurion.* X. Brunnem. *ad d. t. n. 108. col. 1.* Gloſſ. *in l. Moveor. 4. C. Si ſerv. export. veneat.* quod etiam juvatur *arg. l. legatus 20. de Offic. Præſid.* Alteſerra, *d. Cap. XV.* Quare cum A. MCCCXIIX. Bohemiæ Rex Johannes, inchoata cum Ludoviço Bavaro permutatione, Regnum Bohemiæ pro Palatinatu Rheni, quem Cæſar expulſo Palatino occuparat, commutare vellet, Bohemi graviter obluctati eſſe leguntur, adeo ut Rex tandem a propoſito ſuo deſiſtere coactus fuerit, quo de vid. Goldaſtus, *Regn. Bohem. L. III. c. 14. n. 5.* Itter. *l. c. c. XXIII. §. 9.*

§. XIX.

Expoſuimus quæ circa *cauſa externa* in *Refutationis* argumento moneri poterant; ſuccincte jam etiam de *objecto* ſeu *materia*, circa quam verſatur Refutatio Feudorum Imperii, videbimus. Priori autem loco illuſtris diviſio Feudorum in *Regalia* & *non-Regalia* conſpicitur. *Regale* communiter definiunt, quod ab Imperatore cum annexa dignitate regali, & ea mente, ut Vaſallus Principali axiomate gaudeat, confertur. *2. F. 10.* Cöppen, *Obſ. Feud. II. n. 8.* Vultej. *de Feud. L. I. cap. 8. n. 2.* Intelligo autem per Regalem dignitatem, quandam ad regiam dignitatem acceſſionem, & ſublimiorem nobilitatem, jure Feudi conceſſam. *2. F. 14.* Subdividuntur hæc Regalia Feuda in *Eccleſiaſtica*, ut ſunt Eccleſiaſtici Electoratus, Epiſcopatus & Abbatiæ, quoad Jura Secularia, **nach der Weltlichkeit** conſiderata, quippe

quæ ab Imperatore, non a Pontifice, nec a Capitulis aut electione habent; & in *Secularia*, quod pertinent Electoratus, Archi-Ducatus, Ducatus, Principatus, cum variis ſuis ſpeciebus, Comitatus & Baronatus proprie ita dicti. Feudum *non-Regale* illud vocant, quod ab Imperatore cum dignitate, quæ regali eſt inferior, & egregiis quibusdam juribus etiam Regalibus conceduntur, alias quoque *Feudum nobile* in ſpecie ſic dictum audit. Struv. *S. J. F. cap. III. Aph. 8.* Ludwel *Synopſ. Feud. cap. III. p. 45.* Guido Panciroll. *in Tract. Feud. MSS. qui aſſervatur in Bibliotheca Acad. Giſſen. p. 13.* Nota non minus Feudorum diſtinctio eſt, qua alia *hæreditaria*, **Erb-Lehn**, fere naturam allodiorum ſequuntur, & jure patrimonii cenſentur, inde etiam fœminæ in iis aliquando ſuccedunt: alia *ex pacto & providentia*, **Stamm-Lehn** eſſe dicuntur. Illa equidem moribus Longobardorum Feuda ſui natura omnia eſſe maſculina, nec in fœminus tranſire conſtat 2. *F. 26.* quia Fœminæ *faidam levare* i. e. militare non poſſunt Alteferr. *de Orig. & Stat. Feud. cap. II. pag. 10.* Brunnem. *Conſ. 18. n. 21.* Eric. Maurit. *Dec. II. poſit. 8.* Interim tamen & dantur eodem jure Feuda fœminarum, impropria ſcilicet 2. *F. 30.* in quibus Fœminæ ad ſucceſſionem admittuntur. Definitur ab Interpretibus Feudum hæreditarium communiter, quod ſit Feudum in quo ex juris communis diſpoſitione, non ex providentia Juris Feudalis ſucceditur. Vultej. *de Feud. L. I. cap. 8.* Clauſulam Feudi hæreditarii, quando ita conceditur, **zu einem rechten Erb-Lehn, für ſich und ſeine Erben, und Erbnehmer ꝛc.** vide ap. Cöppen, *Obſerv. Feud. 2. n. 46. ſeqq.* Mynſing. *Cent. III. Obſ. 67. n. 3. ſeq.* Petr. Tornov. *de Feud. Mecklenb. cap. II. Sect. 2. §. 4.* Dari autem ejusmodi Feuda in noſtro Imperio, quod temere negat

Rus-

Rusdorfius, *Vindic. Cauſ. Palat. cap. II. n. 25.* numeroſæ ſerie demonſtratum ire poſſemus, niſi illud ab aliis jam præſtitum videremus. Primas inter ea tenet Archi-Ducatus Auſtriæ, ex Conſtitutionibus Friderici II. & Caroli V. Impp Vid. Myler, *de Princ. & Stat. Imp. P. I. cap. 24. §. 1.* Non aliter Duces Burgundiæ, provincias ſuas pro hæreditariis Feudis venditare poterant, Maria Burgundica paternarum ditionum unica hærede facta. Itter. *d. l. cap. III. §. 19.* & Rhet. *de Feud. Clivenſ. Sect. II. n. 9. 18. ſeq.* Jure item uxorio Comitatus Catimelibocenſis pervenit ad Landgravios Haſſiæ A. 1452. Arniſæus, *de Rep. Lib. II. Sect. 12. n. 34.* Comitatum Saynenſem quoque hæreditarium eſſe, & fœminas in eodem ſuccedere res eſt notiſſima. Feudis hiſce hæreditariis opponuntur Feuda *ex pacto & providentia*, quæ ideo ita dicuntur, quod in iis ſecundum ordinariam Juris Feudarii proviſionem, aut ex peculiari quodam pacto primi acquirentis ſuccedítur. Cöppen, *d. l. n. 37.* Plurima Imperii noſtri Feuda hujus eſſe indolis res ipſa loquitur, & in dubio talia præſumi debere non dubitamus, quod Itterus facit *l. c. cap. III §. 20.* idque non ea ſaltim ex ratione, quia hoc natura Feudorum magis conveniens eſt, Stryk. *Ex. Jur. Feud. cap. IV. qu 52.* Sed & quia magis ad originarium Germanorum inſtitutum quadrat, qua Feuda propter militiam, adeoque maſculis ſolis conceſſerunt. At omnia, præſertim Ducatus atque Principatus pro habere velle cum quibusdam, quos vid. apud Itter. *l. c. p. 128. ſeqq.* haud dubie erroneum eſt. Plures Feudorum Imperii diſtinctiones recenſere poſſemus, & forte deberemus, aſt quia laborem hunc egregie jam dudum occupavit Dn Itterus, *toto cap. tertio*, igitur actum agere nolumus, ſed regulariter in omnibus tam Regalibus,

quam

quam non Regalibus, tam hæreditariis, quam non hæreditariis Refutationi ſecundum illa diſcrimina & modos, de quibus ſupra diximus, locum eſſe putamus. Et quidem de hæreditariis, maxime ubi mere hæreditaria & alienabilia fuerint (nam *hæreditariorum* in Imperio noſtro Feudorum non una ratio eſt, unde etiam eadem Definitio iisdem indiſtincte non applicanda, Itter. *l. c.* §. *XIIX. p. 127.* §. *XX. p. 131.*) minima ambigendi ratio vix occurret, ſed de aliis nonnullis fortaſſe non omnia ita plana ſunt atque expedita. Sic de Eccleſiaſticis dubitatum meminimus propter duplex, quo ſtringuntur, vinculum, unde manus non ita liberas habere videntur. Enimvero nihil hæc obſtant Refutationis libertati. Nam quot exempla talium nota ſunt, qui relicto Ordine Eccleſiaſtico Seculares iterum facti ſtatum mutarunt, & beneficia ſua in gratiam Succeſſorum & Capituli, in manus tum Pontificis, tum Imperatoris reſignaverunt. Quod enim jus ab alio habeo, id etiam in manus ejus renunciare poſſum. *Sic Cæſar in manibus Electorum Imperio renunciat, Clericus Sacerdotio in manibus Epiſcopi vel Summi Pontificis.* c. *qui in dubiis, de Renuntiat.* inquit Panciroll. *Tractatu Feudorum MSCto* ſupra laud. *ad 2. F. 14.* conf. *præced.* §. *IX. p. 14.* Inſigniores ſunt, quas innuimus Feudorum Imperii ſpecies; de reliquis, quæ etiam ſuo modo ſub hiſce jam comprehenduntur, idem, & quod refutari poſſint, cenſendum exiſtimamus, ſive *nova* ſint, ſive *antiqua*, ſive *maſculina*, ſive *fœminina*, ſive *premiſcua*, porro ſive ut *tota*, ſive *quoad partes* quatenus *dividua* ſpectentur. Nam horum omnium in Imperio noſtro dari exempla docet Itterus, *l. c. cap. III.* ad quem brevitatis amore nos remittimus. De *Ligio* jam ſupra egimus; ſed de *conditionatis* dubitari notum eſt,

&, quæ

&, quæ ad certa ſervitia data ſunt, an in iis, invito quidem Domino procedat Refutatio? Quæſtionem late tractant communiter Feudiſtæ, & allegabimus tantum nunc Zaſium, *de Feudis P. X. n. 86* & plenius, *Part. ult. n. 14. ſeq.* ejusque diſcipulum, Mynſingerum, *Cent. V. Obſ. 65.* Rittershuſ. *Partit. Jur. Feud. L. II cap. 2. p 307.* Rumelin. *ad A. B. P. II. Diſſ. 4. Th. II, ſeqq.* Dari in Imperio talia Feuda nemo ſors dubitaverit, cum & ipſi Electoratus eo referendi veniant, & Aulici cujuscunque nominis; At, uti ſic ſentientium opinio nullo ſolido fundamento nititur, textus autem 2. *F. 38.* indiſtincte & generaliter Refutationis facultatem permittit, ita & in Imperii Feudis, circa quæ hac in parte nihil aliud diſpoſitum, nos quoad hæc nullum diſcrimen admittimus. Conf. Fr. Schenck. *Tract. de Feud. Lib. III. Tit. 16. n. 5.* Sonsbec. *de Feudis, Part. XII. n. 116.* Bocer. *de mod. amitt. Feud. Tr. cap. 2. n. 116. 117.*

§. XX.

Recenſitis ita Cauſa Efficiente, Subjecto & Objecto, ad *Formam* Refutationis Feudorum Imperii deſcendendum eſt, quæ a Philoſophis definitur, quod ſit id, quod rei cuilibet dat eſſe, diſtingui & operari, ac diſcernitur in *externam* atque *internam*. Utramque breviter ſpectabimus. Et illa quidem conſiſtit in modo refutandi Feudum, & in variis actibus atque circumſtantiis exterioribus eo pertinentibus. Ubi Imperatori, vel in gratiam etiam Agnatorum Feudum refutatur, id in perſona debere facere Vaſallum, utique verior eſt de jure ſententia, quemadmodum etiam hoc modo Inveſtitura Feudorum Imperii peti deberet, per ea, quæ habet Itterus, *l. c. cap. IX. § 22. 23.* Quamvis conſuetudine, & ex indulgentia Imperatorum aliud fere introductum

ſit,

ſit, ut ſcilicet per Procuratores, juxta diſpoſitionem Juris Feudalis communis 2. *F.* 3. Principes Imperii inveſtiantur. Hinc concludimus, Feudi Imperialis Refutationem de jure etiam in perſona debere peragi a Refutante, & quidem cum Solennitatibus aliquibus, cum naturale ſit, ut, quo quidque modo contractum eſt, eodem etiam diſſolvatur. *l. 35. l. 100. l. 153. de Reg. Jur.* Quomodo etiam claves adimebantur in divortio apud Romanos, quæ in contrahendo matrimonio datæ fuerant. vid. Hotomann. *Diſp. Feud. cap. 38.* atque ſicuti in degradatione Clerici & Sacerdotis eædem ceremoniæ interveniunt, quæ in ejus Inauguratione fuerunt adhibitæ. Rittershuſ. *Partit. Feudal. L. II. cap. 2. quæſt. 20.* Id quod etiam antiquis temporibus ita fuiſſe ſervatum, inter alia colligere licet ex iis, quæ de Heinrico Seniore Auſtriaco, ex Gunthero Monacho Elvonenſi, ſupra adduximus. Scilicet Heinricus Imperatoris Friderici I. Patruus, *Ducatum* Bojoariæ *per ſeptem ſigna*, id eſt vexilla, *rite*, ſeu ſervata regni ceremonia, reſignavit,

\- - - - *quæ tradidit ille Nepoti*,

nimirum Heinrico Juniori ſeu Leoni, ſecundum Paraphraſin Jacobi Spigelii, *ad h. l. p. 360.* apud Reuberum; ubi etiam videatur Rittershuſ. *Notis ad Günrherum p. 110.* Pergit Güntherus:

E quibus ille duo Patruo tradenda reſignans
Auſtrica jura Viro pariter ceſſura reliquit;

Id eſt, viciſſim Heinricus Leo refutavit per duo vexilla Heinrico Seniori Auſtriam, quæ olim ad Bavariæ Ducatum ſpectarat, unde deinceps, quæ non niſi Marchia antea erat, Ducatus titulum ab Imperatore Friderico obtinuit. Res ipſa cognoſci plenius poteſt ex Ottone Friſingenſi, *de geſtis Friderici I. Lib. II. cap. 28. 32.* & Adelzreitero,

reitero, *Annal. Bojic. P. I. Lib. 22. p. 563.* Concordat Jus Feudale Alemannicum, ubi & oretenus fieri debere Resutationem a Vasallo in persona, & quibus ceremoniis, ubi Dominus assentiri recuset, præscribitur, verbis prout Codex noster MSctus habet: Will eyn Mann sein Lehen seine Herren ufgeben, und will sein von dem Herren nicht mehre, der Herre mag es mit Rechte nicht geweigern, er muß es von ym ufnemen, und will das der Herre nicht thun, so soll der Mann also sprechen: Herre ich bitt euch so gethan Lehn uff, das ich von euch han, und bitt euch das uf eins, anderstens, und drittenstens, und soll er das thun mit gefaltenen Henden. Und nympt es der Herre nicht uf, der Mann ist doch seiner Mannschafft ledig, er soll ihn das Gut ledig lassen, das er von ihn zu Lehn hatte. *fol. LXXI.* At enim vero quamvis hæc olim ita obtinuerint, cum tempore tamen ab antiquo isto more, etiam in hac causa, recessum fuisse vix dubitari poterit, ex quo Imperatorum indulgentia ad majora Imperii Ordines pedetentim aspiraverunt. Et nescio sane, an vel per Procuratores semper Refutationes peractæ fuerint, cum etiam per solas literas factæ reperiantur. Producam hac vice tantum unicum exemplar vetustarum ejusmodi literarum, quibus Comites Beichlingenses jam A. MCCCXLI. Imperatori Ludovico Bavaro Feudum quoddam resignaverunt, de eoque Comites Schwarzburgicos investiri petierunt. Habent autem eæ, uti sequitur:

Dem Unüberwundenen Herrn, Mäne Gnädigen Herrn, Herrn Ludowigen, Römische Keyser, entpit ich Friderich Grave, Herr zu Bichlingen, minen willigen Dinst, mit steter Unterthänigkeit: Uwer Gnädigkeiten thue ich wüsse, daß ich den edlen Herrn,

minen lieben Omen, Graven Günthern, Graven Heynrich, und ihren Erbin von Schwartzburg, Herrn zu Arnstete, das Ratisfeld halb verkaufft habe, mit solchen Ehrin, Freyheit, Nutzen unde Rechten, als mine Eltern, und ich dasselbe in nützlicher Wehre, wenn uf diese Zeit zu Lehne von Uwer Gnaden gehat haben, des kinde ich Uwer Gnaden uf die Lehn öffentlich an diesem Brieffe, und bet demütliche, daß ihr das vorgenante verkauffte Gut lie wollet den egenanten mine Omen von Schwartzburg, das weil ich gerne verdiene. Zum eine Gezügnisse dirre Rede, so habe ich dessen uff in Brieff gegebin, mit minem Ingesegele Uzzene ufgedrückt vergesegelt. Gegebin zu Arnstete, nach Gotis Geburth Dryzehenhundert Jahr, in dem ein und vierzigsten Jahr, an dem Mondage, an des heiligen Christus Abende.

Singularia non una habent hæ literæ refutatoriæ, quæ observari sane merentur. *Primum* in iis & præcipuum est, de quo jam diximus, quod & Comites per literas Feudum refutare potuerint, de quo, an hodie liceat, certe dubitandum est, dum vice plus simplici factum meminimus, ut ad investituræ renovationem ne quidem Procuratores Comitum admissi, sed, ut ipsimet veniant, aut ubi plures eorum nomine unus compareat, a Cæsare postulatum fuerit. *Alterum* est mira stili simplicitas, sed conditioni istorum temporum, quo nec titulorum luxurium, nec alias vanitates, ad quas hodie omnia instruuntur, vel ipsi Cæsares & Summi Principes affectabant. *Tertium*, quod in hisce literis observamus, illud est, quod terra Ratisfeld in gratiam Comitum Schwarzburgicorum refutata immediatum Imperii Feudum fuerit, &, nisi me conjectura fallit, pertinuit ad

Impe-

Imperiale Caſtrum **Rotenburg**, non procul inde ſitum **in der güldenen Aue**, uti vocatur. Ratisfeldium eſt diſtrictus ſat amplus & amœniſſimus ex agris, pratis atque ſylvis, ubi aprorum imprimis venatione ſe quotannis Schwarzburgici oblectare ſueverunt, conſtans; ſpectat hodie ad Sereniſſimum Principem Schwarzburgo-Rudelſtadienſem, & ſub Feudis Electoralibus Saxonicis comprehenditur, quod quo jure vel qua incuria factum fuerit, non habeo dicere. Circa prius antequam ad alia abeamus, adhuc obiter illud monendum eſt, apparere inde, quod & jam antiquis iſtis temporibus creditum fuerit, eo in caſu, quo quis in gratiam Agnatorum Feuda vel Imperii vel alia reſutavit, Domini directi conſenſu vel præſcitu ſaltim opus fuiſſe, quod multos ex Feudiſtis negare miror, quos vide apud Mylerum, *Additt ad Rumelin. A. B. P. II. Diſſ. 4. lit. b.* qui & ipſe ejus ſententiæ eſt, & Rittershuſ. *Partit. Feudal. L. II. cap. 2. qu. 24.* Nam licet diſſentire Dominus, & inveſtituram denegare non facile & ſine cauſa poſſit, propter jus Agnatis ex inveſtitura prima vel ſimultanea competens; iniquiſſimum tamen foret, ſi quis juratæ fidei ſe inſcio Domino ſubtrahere, & inveſtiendum novum Vaſallum eo inſalutato ſiſtere vellet. Hinc duæ quæſtiones hic non confundendæ, una: *an Dominus Refutationem refutanti & inveſtituram refutato denegare poſſit?* altera: *annon Refutatio in manus Domini fieri, & rogari is decenter debeat, ut Agnatum ad inveſtituram admittat?* Priorem uti negamus, ita affirmamus poſteriorem. Et quæſo, qui poſſit Dominus de voluntate refutantis eſſe certus, niſi eam apud ſe hic declararet? Conſentientes in hoc habemus non ſolum textus Juris Alemannici, præter ſupra allegatos, quamplurimos, ſed

& Jus Feudale Longobardicum, 2. *F. 14.* imo, si jam vacaret, sententiam nostram pluribus exemplis literarum probare possemus, quibus mediati Imperii Vasalli bona sunt Agnatis non alio, quam hoc refutandi modo cesserunt. Unde omnino subscribimus Schiltero, qui *duplici*, inquit, *ratione* in Domini manus *fieri potest Refutatio*, *anni favorem Domini*, *ut consolidetur utrumque Dominium*, *& consensus expressus Domini regulariter non requiritur*; *aut sub conditione*, *ut Dominus tertio Feudum refutatum conferat*; *id quod Domino invito fieri non potest.* Comment. *ad c. V. Jur. Feud. Alemann.* §. 2. Qui ergo dissentiunt, vel de eo casu loquuntur, quando Dominus absque justa causa in Refutationem consentire detrectat, vel doctrinæ suæ firmis destituuntur rationibus. Pertinent autem porro ad Refutationis Formam externam & *locus*, ubi ea fieri debeat, & *tempus*, tanquam circumstantiæ ad omnem actum necessariæ. Sequimur autem hic iterum regulam, quod, *ubi* & *quando* investitura fieri potest, *ibi* & *eodem tempore* quoque possit fieri Refutatio Feudi. Jam communiter notum est, quod in *locis Sacris & Religiosis* investire prohibitum sit. Ita enim reperitur, in Jure Feudali Alemannico, Cod. MSCti *fol. LXXVI.* Der Herre soll sinen Mannen zu allen Zyten und an allen Stetten ihr Lehen lyhen, so sie es fordernd, on in der Kirch und an dem Kirchope, da mag er yne das mit Rechte nit gelyhen. Geschicht es aber, so soll der Herre nach seinem Mann senden, oder der Manne komme selber zu dem Herrn, und gebe yin das Lehen auf, und empfae es anderstrnd, das ist recht. nbi vide Schilt. *Comment. ad cap. XLI. §. 4. seq.* & quod diebus festis vel feriatis idem prohibitum. Jure Feudali Alemannico tales dies dicuntur **gebundene Tage**, *Cod. MSct.*

MSt. fol. LXXI. Saxo discrimen facit inter **Feyer & gebundenen Tagen.** Conf. Schilter. *Comm. l. c. ad c. IX.* §. 2. Juxta hos igitur Juris Feudalis Textus uti non investire, ita neque refutare dictis locis & temporibus Feuda licet. Idem sine dubio statuendum de Investitura & Refutatione Feudorum Imperii, eoque hæc prohibitio extendenda, adeo ut Refutatio iis modis peracta ipso jure nulla sit habenda. Quin ergo potius juxta placita Juris Feudalis Communis in *Curte & Curia Domini*, & quidem in *præsentia Parium*, arg. 2. *F.* 32. sive ut hodie Imperii Praxis fert, in Aula Imperatoria, secundum diversitatem Feudorum, vel Ipsi Imperatori, vel Ejus nomine Judicio Aulico Refutationes peragi posse & debere extra dubitationis aleam positum videtur. Et hæc quidem quoad *Formam externam* sufficiant. *Formam internam* Refutationis diximus constituere Resignationem *legitime & tempestive* factam, & quidem ab Imperii Vasallo Imperatori, ut vel ipse Feudum acceptet, vel tertium de eodem investiat. Resignationem dicimus debere esse *legitimam*, ad quam quæ requirantur partim jam ex præcedentibus constare potest, partim vero adhuc uberius paulo declarandum est. Itaque debet esse (I) *vera, seria & realis*, non nuda & *verbalis*, si forte Feudum ipsa re retinere, ipsumque Dominum, falso Refutationis colore quæsito, oppugnare vellet Vasallus. Obrecht. *de Jure Feud. L. III. cap. II. n. 25.* Nam ut oblatio effectum liberationis consequatur, necessum est, ut offeratur realiter, & ita quoad Imperii Vasallos diserte disponit A. B. *ut Resignatio vel Renunciatio Feudorum Imperii haberi debeat pro non facta, nisi realiter facta fuerit, ita quod possessio Dominis ipsis corporaliter & realiter assignetur.* Præterea (II) *libere fieri* decet, & a libera Refutantis voluntate

tate procedere. Ita Jus Feudale Alemannicum: Bezwingt der Herre seinen Man ungetreulichen oder mit Gewalt, daß er ym sein Lehen auffgeben muß, des pleybt der Man on Schaden, ob er den Herrn beclaget um die Untreü, die er an ym gethan hett, vor den Obern Herrn, oder vor dem König, oder vor dem Lantrichter, und überzeuget er den Herrn der Unthadt, die er an ym begangen hatt, der Herre soll dem Richter püssen, als das Landrecht auch sagt, und soll dem Man den Schaden zwyfältig ablegen, und sall sein Gut mit Gemache han. *Cod. MSt. fol. LXXXIV. fac. b.* Unde apparet, quod hoc jure Vasallus *actionem dupli* adversus Dominum, violenter ut refutet, cogentem consequatur. Conf. Schilter. *Comment. ad h. l. cap. XXII. & cap. LXXIII.* De Feudis Imperii idem jubet Constitutio Carolina, *d. l.* ut scilicet *libere* fiat Refutatio. Debet (III) fieri *scientibus* & *conscientibus* iis omnibus, quorum interest; ipso etiam Imperatore quoad scientiam non excepto in Feudis Imperii, si quando soli ipsi eadem refutantur, quo casu, irrequisito eo, redire Vasallus & servire tenetur, arg. *l. 8. C. de agric. & Censit.* Nondum enim hominium, seu juramentum Vasalliticum Dominus remisit, sed eidem adhuc obstrictus manet, donec Refutationem admiserit. Cujac. *L. II. Feud. tit. 14. pr.* Bocer. *de Modis amitt. Feud. L. V. cap. 2. n. 142.* Schurff. *Consil. XXVII. n. 6. seqq. Cent. 1.* Myler. *ad Rumelin. A. B. P. II. Diss. 4. th. 24. lit. b.* Debet (IV) Refutatio Feudorum Imperii esse *honesta*, non *dolosa* & *fraudulenta*. De causis honestis & licitis subinde dictum fuit in præcedentibus. De dolosis loquitur in *A. B. cap. XIV.* Imperator Carolus IV. & gravissimas pœnas, scilicet amissionem Feudorum, Infamiam

miam & Bannum Imperii iis dictitat, qui *in fraude renunciarint, & facta Resignatione Dominos Feudi malitiose diffident, ac beneficia seu Feuda sic relicta prætextu Guerræ seu inimicitiæ iterum invadant & detineant occupata.* Scilicet ita moris, quamvis pessimi, erat istis temporibus in Imperio, dum Jus manuarium adhuc obtinebat, ut potentiores inprimis aut animosiores Vasalli Dominos suos invaderent, id quod liberius se posse somniarunt, si Feuda, quæ tenebant, ipsis prius refutarent. Conf. Buxtorff *ad A. B. c. XIV. th. 97.* Arumæus, *Disc. VI. th. 1.* Rumelin. *l. c. Th. XVI seq.* & ad eos Myler. *in Addit.* Exemplum talis Refutationis succurrit, ex Casp. **Lerch von Dürnstein**, qui refert, A. MCCCCLXXI. lites ortas inter Wilhelmum & Michaelem, Comites Wertheimenses, ex una, & inter Johannes, Patrem & Filium, Nobiles immediatos **de Wallbron**, hosque posteriores prioribus, dum res ad arma spectaret, Feuda, quæ ab ipsis habebant, Comitibus resignasse. Cœpisse inde hostilitates, quibus aliquamdiu durantibus, junior de **Wallbron** in Comitum, & vicissim hujus Pater, Comes, in Nobilium de **Wallbron** manus pervenerit. Res tandem composita fuit per Fridericum, Electorem Palatinum, ceu pluribus videre est apud laudatum Casp. **Lerch**, eruditissimo Opere, **von Reichs-Ritterl. Adel. Herkommen**, *II.* **Grund-Satz**, *n. 86. fol. 110. seq.* Occurrit autem hic quæstio: *Si Vasallus vel Status Imperii Feudum refutet Filio vel Agnato, postea vero Imperatori bellum infert, an propositis in A. B. pœnis subjaceat?* Et est in promtu responsio, Feudum quidem Imperatorem a Filio, si is innocens fuerit, revocare non posse, cum ratio pœnæ hujus eo cesset, & adeo factum Patris ipsi nocere non debeat, maxime ubi fuerit Feudum ex pacto

& providentia, in quo Filius proprio jure ſuccedit. Reliquæ vero pœnæ ipſum manent, & quidem non tam eo reſpectu, quo Vaſallus ante fuit, quam potius, quia Crimen læſæ Majeſtatis, & fractæ pacis publicæ commiſit. Conf. Myler. *d. l. Additt.* (a) *ad Tb. XXIV.* Dico: *non tam eo reſpectu, quo Vaſallus ante fuit.* Nam revera definit Vaſallus Imperii & Status eſſe, qui Feuda Imperii in gratiam Filii, vel Agnati refutat; privat enim ſe jure ſuffragii, & a reliquis Principibus ad Seſſionem & Votum non amplius admittetur. Schilter. *Comment. ad J. F. Alem. cap. V. §. 6.* Unde vix uſus aliquis eſſe poteſt Cautelæ, quam habet Itterus, dum putat, proſpiciendum eſſe, ne Status Imperii in Capitularis Legis fraudam (qua ad tuendam Illuſtrem dignitatem & Cenſum Imperii præſtandum ſufficientibus facultatibus inſtructus eſſe debet. Vid. Capit. Leopold. *Art. XLIV.* Joſeph. *XLIII.* nimium refutando bonis omnibus ſeſe exuat, ad onera Imperii ferenda deinceps inidoneus, *l. c. cap. XXIII. §. 9.* Conf. Schweder. *J. P. Part. Spec. Sect. II. cap. 1. § 2.* Eſt tamen a doloſis & illicitis, e. gr. belli inferendi cauſa factis Refutationibus Feudorum *eximenda* illa, quando *defendendi & repellendarum injuriarum gratiam* Feudum refutatur. Id, quod Jure Francorum *gurpire homagium* (a voce Germanica *werpen* rejicere) dicitur, & hac formula fiebat: *Domine diu eſt, quod in tua fide & tuo homagio perſtiti, & talia prædia in Feudum a te tenui: nunc vero iisdem homagio & fidei renuncio, quia malefactum in me commiſiſti, de quo per appellum vindictam exigere decrevi.* Vid. du Freſne, *Gloſſar. voc.* Homagium. Gurpire. *Tom II. p. 762.* Sane Electores & Imperii Principes Francicæ Libertatis tenaces, ut de juſtitia armorum ſuorum ampliter perſuaſi, (quo de vid. **Hortleder**, *Tom. II. L. 1.* & de jure

Statuunt

Statuum Imperatori armis reſiſtendi, ſententiam Lampadii, *de Republ. Romano-German. P. III. c. 21. §. 13.*) ſuperioribus Seculis ex eadem cauſa, ſi non Feuda ſua refutarunt, armis tamen Imperatori ſeſe oppoſuerunt. *Tempeſtiva* denique (b) debet eſſe Feudi Imperialis Refutatio, id quod in genere ad omnes Feudorum reſignationes & legitimam eorum Formam requiritur. Neque tantum intempeſtiva illa prohibetur, quæ cum dolo conjuncta eſt, & quæ in A. B. *d. l.* ſub vetitis continetur, ſed etiam talis, quæ a dolo immunis eſt, ubi tamen Domino nocere poſſit. Quid enim ſi jam hoſte imminente, & in ipſo belli procinctu, ubi Vaſalli opera Imperator neceſſario indigeret, nec præ temporis anguſtia rerumque emergentium difficultate alium æque idoneum Vaſallum comparare poſſet, Refutatio fieret? Ecquis non injuſtam & illicitam eam pronunciaret, etſi forte a Vaſallo mente non improba factam, & inde omnino denegandam? Vid. Mynſing. *Cent. V. O. 65. num. 12.* Rittershuſ. *Part. Feud. L. II. c. 2 q. 20.* Rumelin. *ad A. B. l. c. Th. XXIV. & ibid. Additionator.*

§. XXI.

Reſtat, ut de *Finibus* Reſutationum harum nonnulla addamus, quamvis de iisdem jam facile judicium ferri poſſit ex ante dictis. Et naſcitur hic diviſio in duas claſſes, ut, pro ratione & diverſitate finium, ſint vel *licitæ* vel *illicitæ*. Ad *priores* referimus illas, quæ ipſi *Imperatori*, & certo modo *Regi Romanorum* fiunt, ſimpliciter, ea mente, ut a nexu Feudali, ſervitiis & oneribus Imperio præſtandis Refutans liberetur, quod ubi fraus & dolus abfuerint, licite fieri poſſe, iſtis etiam invitis, ſupra demonſtravimus. Vid. §. IIX. *p. 11.* §. XIH. *p. 22.* §. XIV. *p. 26.* Porro huc referimus illas, quæ in

gratiam *Descendentium* & *Agnatorum*, vel etiam, cæteris paribus, *Extraneorum* fiunt, quæ ex diversis finibus & causis procedere possunt, nimirum ut vel Refutanti & rebus ejus consulatur, e. gr. si Status aliquis æris indigens refutet venditionis gratia, vid. § XXIIX. *p.37.* §. XX. *p. 51.* aut ut senio gravatus otia sibi faciat, & curarum mole liberetur, vel ut prospiciatur illi, cujus in gratiam fit Refutatio. Vid. §. XVII. *p. 34.* Nec minus huc spectant illæ Refutationes, quæ ex pia intentione & ad pias causas promovendas suscipiuntur. Vid. § XIIX. *p. 38. seqq.* Ad *posteriores* & illicitas pertinent Refutationes, quæ ex dolo procedunt, & quando eum in finem refutat Status vel Vasallus aliquis, ut Imperatori bellum inferat, aut ope debita & servitiis eum intempestive destituat. Plures fortasse sunt aut esse possunt causæ ac fines talium Refutationum, sed nobis hæc in præsenti sufficiant eorum exempla; properamus ergo & hisce commode subjungimus Refutationum potiores *Effectus*, tanquam Finium consequentia. Considerabimus autem nunc istos tantum, quos Refutationes Feudorum Imperii *licitæ* producunt, quam de Effectibus & fructibus illicitarum jam tum egerimus. Unicum tamen est, quod quoad intempestivas Renunciationes, occasione Effectuum, hic prætereundum non erat. *Quid si Imperii Vasallus alteri non quidem ex mala intentione, sed tamen intempestive refutando Feudum concessit, & Imperator ex gravibus causis in eam non consenserit, annon resoluta sic concessione, Cedens Cessionario ad interesse teneatur?* Et respondemus, omnino teneri, quoniam facto suo & culpa Concessio exspirat, uti omnis is damnum resarcire compellitur, qui culpa sua alteri id conciliat. arg. *l. 66. pr. ff: Solut. matrim.* & *l. 25. §. 4. locati* quam Dd. secundum rationem *d. l. 66.*

intel-

intelligendam monent. Conf. Rhetius, *Comment. ad Jus Feud. L. I. Tit. 5. §. 1.* verb. & *domino refutaverit. num. 2.* Quod ergo *Effectus licitarum* Refutationum attinet, respiciunt ii *personam* vel *Domini* vel *Vasalli.* Effectus personam Domini concernens est in aliis Feudis *Consolidatio* domini directi, quod instar proprietatis se habet, in comparatione ad usumfructum, *l. 21. §. 3. ff. de Except. rei judic. l. 36. §. 1. de Usufr. l. 78. ff. de Jure dot.* cum dominio utili. Extinguitur igitur Ususfructus hicce Feudalis *2. F. 23. 35. 37.* & Dominus directus incipit in re Feudali plenam habere potestatem facultatemque disponendi inconcussam. arg. *l. 21. C. mand §. 2. I. de his qui sui vel alien. jur. §. 4. I. de Usufr.* Habent autem hæc Juris Feudalis communis placita in Imperii Feudis se longe aliter, dum in Capitulationibus dispositum est, ut, si fors Imperii Feuda vacare contigerit, eadem Imperii patrimonio addici debeant, adeoque liberam de iisdem disponendi facultatem Imperator neutiquam habet, Capitul. Carol. V. *art. XXIV.* cum qua sequentium Imperatorum Capitulationes omnes conspirant. Ut taceam, quo de jam supra monitum, Refutationem in Imperatoris persona simul fieri Imperio, unde etiam Feuda Imperii notabiliter audiunt **des heiligen Reichs Eigenthum,** in Rec. Imper. *de A. 1541.* §. **Nachdem aber in dem** ꝛc. *6.* ut inde constet, Cæsari una cum Imperio dominium harum regionum tribui. Item. *de F. I. cap. XIX. §. 2.*

Effectus Refutationis *personam Vasalli* respiciens, consistit in liberatione a servitiis Vasalliticis & obsequio Feudali *2. F. 38.* Experiat enim fidelitas ob rem contracta *2. F. 23.* re Feudali deficiente, secundum regulam Philosophorum: Cessante causa cessat effectus. Neque tamen ideo permissum est Vasallo, ut post Refutationem

Perſonæ vel bonis Domini libere inſultare poſſit, 2. *F.* 38. uti refutandi licentiam a quibusdam in abuſum trahi cœptam modo diximus. Habet enim Reſutatio effectum exauctorationis militaris, ut videlicet Vaſallus, qui fuit, Seniori ſuo non amplius ſit obligatus ad præſtanda obſequia atque ſervitia; ſed tamen ne tunc quidem offendere ipſum debet, in memoriam fidelitatis, jurisjurandi & amicitiæ prioris, cujus reliquiæ adhuc perdurare videntur. Rittershuſ. *l. c. qu. 32.* Cöppen. *Obſ. Feud. IIX. n. 46.* Quæ omnia in Vaſalle Imperii eo magis obtinent, quia quamvis deſinat vinculum Vaſallagii, manet tamen vinculum ſubjectionis, quo Imperatori & Imperio obligatus tenetur. Poſſet hæc de *Effectibus* tractatio extendi latius, & cum ratione *perſonarum*, quatenus vel Agnatis, iisque aut propioribus aut remotioribus, vel Extraneis Feuda refutantur; tum ratione *Feudorum* ipſorum, quatenus vel in novis, vel in antiquis fit Refutatio, quid ea in ſingulis caſibus quoad Imperii Vaſallos operetur, diſquiri; ſed piget actum agere, quum in præcedentibus hæc omnia jam fuerint ventilata, & fere, quæ communium Feudorum Conſtitutiones de *Effectibus* diſponunt, ſuſeque tractat laudatus Dn. Tabor. *de Refut. Feud. cap. V.* itidem in Imperii Feudis obtineant, iisque facile accommodari poſſint.

§. XXII.

Inſpectis Conſtitutivis & Conſecutivis Refutationis Feudorum Imperii, de *Contrariis* non nihil diſquirendum reſtat, ſed itidem breviſſimis, cum jam ſupra ſuis quæque locis tacta fuerint. Contraria igitur vocamus, quæ, æque ac in aliis, ita & in Imperii Feudis ita comparata ſunt, ut Refutationi vel *adhuc faciendæ* obſtent, eamque, quo minus fieri poſſit, impediant; vel *jam factam* iterum deſtruant. *Huc* pertinent defectus Voluntatis & facul-

& facultatis concedendi, v. gr. in Pupillis, minoribus, furiosis, prodigis, ex parte Subjecti activi; ex parte Subjecti passivi, defectus potestatis acceptandi, ut in Vicariis, Pontifice, Extraneis, &c. Item ex parte Refutantium Refutationem impediunt, ne fieri possit, pravum Vasallorum consilium Dominum invadendi, & intempestivitas. *Huc*, scilicet ad *jam factam* Imperii Feudorum Refutationem destruentia referri debent. (I) *Coactio*, & si ob metum facta demonstretur. *l. ult. pr. de Reg. Jur.* unde in literis refutatoriis verba: **Williglichen, Ungezwungen und Ungedrungen.** Licet enim in se nulla videri posset talis Refutatio; tamen quia metus non omnem consensum excludit, consensum tamen liberum etiam non relinquit *l. 21. §. 5. ff. quod met. caus.* ideo remediis jure competentibus uti licebit, & Actio ad rescindendam Refutationem datur. *l. 1. ff de in integr. restit. l. 9. §. 3. 7. ff quod met. caus.* Similis ratio est (II) *Erroris*, si quis, etiam Imperii Vasallus, bona fide Feudum alienum a se aliquamdiu possessum in gratiam tertii refutaverit, ut deprehenso errore Refutatio ista rescindatur. Porro (III) *Revocatio* factam Refutationem in nihilum redigit, & quidem vel ex Jure *Protimiseos*, vel ex Jure *Successionis*. De Jure *prioris* cum jam in supra dictis mentio fuerit facta, nihil addemus amplius, præter illud, quod communi Juri Feudali quoad hanc revocationis speciem, in Principatibus Germaniæ adhuc locus sit, ac adeo Refutantis descendentes aut Agnati oblato precio convento, dum *is adhuc supereſt*, intra annum revocare possint. Wesenbec. *Cons. 347. n. 61. seq.* Itter. *d. l. cap. XXIII. §. 12.* Cöppen. *Obs. IIX n. 29. seq.* Ad *posterius* Revocationis jus quod attinet, quo post mortem Vasalli alienantis Agnati ex capite Successionis utuntur, 2. *F. 39. pr.* 1. *F. 8. §. 1.* non minus illud obti-

obtinere in Vaſallis Imperii, extra dubium ponitur. Competit hæc Revocatio *poſt mortem demum* alienantis nullo etiam pretio refuſo, usque ad 30. annos 2. *F.* 9. §. 1. 2. *F.* 26. §. 4. Covarruv. *Tom.* 2. *Varr. Reſol. L. I. cap.* 9. *n.* 2. *verb. Vel hæc prima ratio &c.* Diſputatur autem graviter a Dd: *Num & Deſcendentes Feudum antiquum a Patre alienatum, perinde ut Agnati ex Succeſſionis capite revocare poſſint?* Ubi negativa ſententia communiter verior videtur. Dicunt enim, Filio acquiri jus ſuccedendi per Patrem, a quo cum ſit excluſus, vindicare etiam illud non poſſe filium, quod Pater amiſit, idque confirmari volunt. 2. *F.* 45. ubi Filii ſuccedentes in Feudis tanquam hæredes allodiales conſiderentur. Vid. lat. Struv. *S. J. F. cap. XIII.* §. 16. *n.* 5. 6. 7. Enimvero licet hæc ſententia, quæ præcipuum Propugnatorem habet H. Piſtoris, hodie in praxi receptior ſit, & in cauſis Imperialium etiam Feudorum ſecundum eam pronuncietur; contraria tamen, a Weſenbecio, *Conſ.* 347. Academiæ noſtræ primo Cancellario, Dn Godofr. Antonio, *Diſp. Feud. X. th.* 4. *lit. b.* & Rusdorf. *Vindic. Conſ. Palat. c. XIII.* defenſa, ſaltim in puncto juris verior videtur, quo de alibi latius.

Jam ex more recepto etiam de *Affinibus Feudorum Imperii Refutationis* dicendum eſſet; & animus erat, juxta ductum D. Taboris, *Diſſ. de Refutatione Feudi c. VI.* huc referre inprimis *Subinfeudationem* & *Ceſſionem Uſusfructus*. Sed quia ita ſub manibus crevit argumentum, ut ſpeciminis Academici menſuram fere excedat, pagina etiam plura non capiat, & *Affinia* fere alicujus tantum illuſtrationis, non neceſſitatis gratia adjiciantur; igitur miſſis iis, (quæ qui cognoſcere cupit, Taborem adeat *l. c.*) ad colophonem jam tandem properamus. Ter Optimo ter Maximo DEO pro præſtito auxilio humilimas & mente & ore offerentes gratias.

obtinere in Vaſallis Imperii, extra dubium ponitur. Competit hæc Revocatio *poſt mortem demum* alienantis nullo etiam pretio refuſo, usque ad 30. annos 2. *F.* 9. §. 1. 2. *F.* 26. §. 4. Covarruv. *Tom.* 2. *Varr. Reſol. L. I. cap.* 9. *n.* 2. *verb. Vel hæc prima ratio &c.* Diſputatur autem graviter a Dd: *Num & Deſcendentes Feudum antiquum a Patre alienatum, perinde ut Agnati ex Succeſſionis capite revocare poſſint?* Ubi negativa ſententia communiter verior videtur. Dicunt enim, Filio acquiri jus ſuccedendi per Patrem, a quo cum ſit excluſus, vindicare etiam illud non poſſe filium, quod Pater amiſit, idque confirmari volunt. 2. *F.* 45. ubi Filii ſuccedentes in Feudis tanquam hæredes allodiales conſiderentur. Vid. lat. Struv. *S. J. F. cap. XIII.* §. 16. *n.* 5. 6. 7. Enimvero licet hæc ſententia, quæ præcipuum Propugnatorem habet H. Piſtoris, hodie in praxi receptior ſit, & in cauſis Imperialium etiam Feudorum ſecundum eam pronuncietur; contraria tamen, a Weſenbecio, *Conſ.* 347. Academiæ noſtræ primo Cancellario, Dn Godofr. Antonio, *Diſp. Feud. X. th.* 4. *lit. b.* & Rusdorf. *Vindic. Conſ. Palat. c. XIII.* defenſa, ſaltim in puncto juris verior videtur, quo de alibi latius.

Jam ex more recepto etiam de *Affinibus Feudorum Imperii Refutationis* dicendum eſſet; & animus erat, juxta ductum D. Taboris, *Diſſ. de Refutatione Feudi c. VI.* huc referre inprimis *Subinfeudationem* & *Ceſſionem Uſusfructus.* Sed quia ita ſub manibus crevit argumentum, ut ſpeciminis Academici menſuram fere excedat, pagina etiam plura non capiat, & *Affinia* fere alicujus tantum illuſtrationis, non neceſſitatis gratia adjiciantur; igitur miſſis iis, (quæ qui cognoſcere cupit, Taborem adeat *l. c.*) ad colophonem jam tandem properamus. Ter Optimo ter Maximo DEO pro præſtito auxilio humilimas & mente & ore offerentes gratias.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Weber, Immanuel

Diss. iur. de refutatione feudorum Imperii

Viteberga 1701

4 Diss. 5247#Beibd.30
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11049969-4
VD18 15161986-001